

10



6

x, 36^e.

140.




13/3

~~13/3~~

Forsternarm in N
* — 12
65









HENRICI MEIBOMII
CHRONICON
BERGENSE.



HELMESTADI,
Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typ.
ANNO MDCLXIX.

HENRICI MEIBOMII
CHRONICON
BERGENSE



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

HELMSTADT
Typo Henningi Mulleri Acad. Typ.
ANNO MDCCCLXXXV





V I R O

MAXIME REVERENDO AM-
PLISSIMO DOCTISSI-
MOQUE

DN. SEBASTIANO
GOEBELIO

Imperialis Monasterii Bergensis
ABBATI

Domino & Fautori plur. honorando

HENRICVS MEIBOMIVS

S. P. D.



Enit tandem ad Te Chronicon Ber-
gense ab Avo meo HENRICO MEI-
BOMIO, Historico non incelebri, ma-
gno labore congestum, plus vice sim-
):(pliei

plici à Te desideratum, typis tamen exscriptum, ut ad omnes simul, eâdemque opera & Te demerear, & si quis talium patriæque historiae curiosus est, eritque imposterus. Equidem de Avitis Paternisque scriptis publicandis, quantum per alia, quæ interjungo, studia, licet, nunquam non sollicitus sum, etiam apud bonos quosque, professione illa pietatis, non illaudatus: ad hujus tamen posthumi operis editionem Tua, venerabilis Abbas, autoritate non parum me fateor instigatum. Deduxit id Avus meus ab ultima origine ad sua usque tempora, pervenitque ad me ipsius manu nitide satis scriptum, ac si editioni jam paratum esset. Non dubito quædam ultima ejus cura accedere adhuc potuisse, si ipsi edere licuisset: ego nihilominus veniæ apud bonos securus, edidi omnia, ut inveni, singulis retentis verbis. Tibi equidem, venerande Antistes, quæ de Antecessoribus tuis hic memorantur, pleraque & fortè plura esse dudum cognita scio, ex iis, quæ in Archivo vestro asservatis, monumentis: non parum tamen ut spero delectabit lectio eorum, quæ ex aliis scriptoribus, quibus

quibus ista memorata, adduxit Avus meus,
quæque interspersit eodem tempore acta, res
vestras illustrantia. Cui vero ista minus co-
gnita (ceu sunt plurimi exterarum rerum avi-
di, nostrarum incuriosi) ille non sine jucun-
ditate in hoc Chronico intuebitur variam
Monasterii vestri faciem, nunc nitidam, nunc
misere deformatam, non una semper de causa.
Nam & aliquando misera Reip. nostræ fortu-
na & Saxonici orbis calamitas monasterium
vestrum eadem involvit, ut optimi quoque
Abbates pares illi ferendæ esse vellent magis
quam possent. Non defuerunt etiam subin-
de ex Abbatibus ipsis (ut in humanis contin-
git) qui ad dignitatem illam mores afferrent
malos, & quo illustriores, eò plus nocerent &
publice magis. Fuerunt etiam aliquando in
coetu vestro, frustra contra nitentibus Præ-
sulibus, qui cœtera discordes in commu-
ne exitium conspirarunt, subministran-
tes fomenta rogo, quo deflagrarent univer-
si, consumerentur singuli. Imo fuit tempus,
) : (cum

cum rerum veris vocabulis amissis, ut olim
quereretur Cato, monachi non amplius es-
sent monachi. Isthæc omnia memorare de-
buit Historicus. Nec omisit temere quic-
quam, cujus notitiam haberet. Neminem
certe, quem laude quid dignum gessisse con-
staret, ea carere passus est. Quamvis forte
nonnullorum merita majora fuisse credam,
deficientibus qui annotarent, fatali quadam
æui calamitate. Referuntur autem omnia
simplici stylo, sine verborum phaleris, cum
laus omnis, quo verior eo magis amet sim-
plicitatem, hoc ipso ornata, quod ornamenta
contemnat.

Quod vero Chronicon hoc Tuo, vene-
rande Præsul, amplissimo nomini inscribam,
æquo animo feres, & hanc meam, si qua est,
temeritatem honestis condonabis exemplis.
Offero enim scriptum Tibi, quod tuum quo-
dammodo jam est, certe ad neminem propi-
us pertinet, de illis conscriptum, quorum lo-
cum Principali clementia meritoq; tuo tenes.
Accepit monasterium vestrum ultimis annis
veram

veram Evangelii lucem, præfueruntque illi
Antistites, si non propter publicas calamita-
tes feliciores, meliores certe multis Anteces-
soribus suis, conservaturque id hodie Tua
quoque industria, tamque nunc abest à sum-
mo flore, quam prope aliquoties à ruina ex-
trema. Majores fortè quondam reditus
fuerunt & splendidiora ædificia. Sed nemo
prudens domibus aut tectis aut congestu la-
pidum Monasteriorum nomen absolvi cre-
dit. Muta ista ac inanima interciderè ac
reparari promiscua sunt: veris autem pieta-
tis exercitiis & irrequieto nominis divini sin-
ceroque cultu salus & gloria monasteriorum
constat. Ad quæ omnia promovenda cum
totus feraris, gratulor his temporibus &
monasterio de tali Antistite, qui prudentia
& autoritate regit omnia, ad pietatem inde-
fessus provocat, & quod maximum est, quod-
que imprimis Nazianzenus requirebat, *διδα-
σκει τῆς τρεῖς τοῖς*. Precor igitur Deum Opt.
Max. ut Te diutissime servet incolumem, a-
vertatque publicas calamitates ut quos ad mo-
nasterii

nasterii tutelam & incrementum affers, co-
natus, tanto sunt feliciores, quanto infeli-
ciores sæpe fuerunt Antecessorum tuorum,
ceu sunt natura infirmitatis humanæ tardio-
ra remedia, quam mala. Helmestadii. Idibus
Augusti. clō lōc LXIX.



HENRI-



HENRICI MEIBOMII
CHRONICON MONASTERII
BERGENSIS AD ALBIM PROPE
MAGDEBURGUM.



Ommunis est opinio historicorum nostrati-
um illustre monasterium familiae Benedictinae
prope Magdeburgum in monte, unde ei no-
men, situm ab Ottone Magno, Henrici Aucu-
pis, Primi ex Saxonibus Imperatoris Augusti,
filio & successore, conditum esse Anno Christi
936. qui regni ejus primus. Hujus sententiae confirmandae ergo
Georgius Torquatus Theologus & historicus Magdeburgensis
producit Diploma fundatoris, quod ex MSC. auctoris Chron.
integrum subjiciam. *In nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Otto
divinae clementia Rex. Noverint omnes fideles nostri, praesentes scilicet
& futuri, qualiter nos ob amorem Dei omniumque Sanctorum in loco Mag-
deburg nominato, ecclesiam constituere studuimus, Sancti Petri Prin-
cipis Apostolorum Sanctorumque martyrum Mauricii, Innocentij so-
ciorumque eorum Patrociniis interesse, illorumque obsequia, quantum
suppetit humanitas inibi, ut agantur, cupientes. Ad eosdem vero
sanctos & ad usum nutrimentumque congregationis illic eis servientis, ob
memoriam patris nostri & pro remedio animae ipsius, venerandaeque
matris nostrae, nostrique & conjugis nostrae. Cujus & praedictus locus
Dus fuit & prolis nostrae omniumque debitorum nostrorum, nec non &
Rudolphi Regis, qui nobis Sanctum transmisit Innocentium, consilian-
tibus nobis Episcopis, qui tunc in praesenti erant, Friderico videlicet
& Adeldago, archiepiscopis: Balderico, Thierbardo, Ebergiso, Amal-
rico,*

A


rico,

rico, Odalrico, Burchardo, Bernharo, & Amalungo Episcopis res
 nostra proprietatis, quae subnotantur, in proprium damus. In pago
 Northuringa & in comitatu Thietmari in Magdeburg curtem no-
 strum cum aedificio & territorium illuc pertinens, cum omnibus locis
 ex occidentali parte Albiae fluminis ad eandem civitatem pertinen-
 tibus vel servientibus, cujuscunque sint beneficia, hoc est, Friduma-
 resleba, Pretalitze, Buchovvi, Frofa, Ruethardesdorp, Harthara-
 destorp, Thermundesdorp, Otteresleba, Osteruvartiga, Suldorp, Nu-
 crovvarzinga, Istaresdorp, Dudulou, Watenesuneg, Mantlesleba,
 Witerichsdorp, Vnundiscunburg, Bizunici, Zieboltesdorp, Trumpsi-
 ce, quatuor hobas in Valedorp, & quicquid ad praedictum locum per-
 tinens habuimus ex Aquilonari parte Horaba fluminis in locis ita
 nominatis: Mosau, Pelnusi, Vnzoborg, Welbuchi, Zelici: & in
 comitatu Geronis in Bigera tres familias litorum & in comitatu
 Christiani in Grimereslebâ quindecim familias Sclavorum & omnis
 census & venundationis, acquisitionisque, decimam in Moisani, Li-
 grice, & Heveldun praefatae congregationi concedimus, & liceat, ut li-
 gna & herba in usus sint & porci saginentur. Omnes praefatorum
 locorum familias cum cunctis ad haec jure pertinentibus, mancipiis,
 aediis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursu-
 bus, molendinis, piscationibus, quasitis & inquirendis, jure perenni
 in proprium damus: Et condonamus eidem congregationi, ut fa-
 miliae eorum coram nullo nisi Advocato eorum Iustitiam secularens
 cogantur agere: Et nulli nisi eidem congregationi serviant, & illa
 nisi Deo & sanctis, nisi singulis annis tantum Regi unum cavallum
 scutumque lanceas vel duas crufinas dent, ut sciant in mundi burdio
 Regis se esse. Electionem eis concessimus Abbatem inter se eligendi
 & Advocatum quemcunque velint, Abbatem tamen dignum. Et
 ut haec nostra traditionis autoritas plena vigeat firmitate, jussimus
 hoc praecipuum conscribi, per quod sancimus, ut nullus successorum
 vel heredum temere illud praesumat infringere. Et si ullus homo in
 eisdem rebus aliquid injuriae facere praesumserit, summa iudicis vin-
 dicta

BERGENSIS.

dicta subjaceat, iramque prænominatorum martyrum incurrat. Et, ut hoc à fidelibus nostris verius credatur, manu nostra subtus illud firmavimus & annulo nostro signari præcepimus. Data 11. Kal. Octobris, anno Dominicæ incarnationis 936. Indictione 11. anno verò Ottonis Piusimi Regis Secundo. Actum in Magadeburch civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum Domini Ottonis



invictissimi Regis

Poppo Cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovi.

TOrquatum sequuntur Johannes Pomarius & Andreas Wernerus uterque annalibus archiepiscopæ Maddeburgensis. Dissentit Trithemius Chronico Hirsaugiensi, annum fundationis inculcans 940. Indict. 14. cum quo facit Chronicon Saxon vernaculum. Longius ab hac sententiâ recedit Ditmarus Mersepurgensis istis temporibus vicinus. Is lib. 2. differens de prælio contra Avars, qui & Vngari, commisso, deque illustri victoriâ, omniumque tripudio tandem addit: *Interim Rex Saxoniam revisens laetus patriam, à cunctis principibus à longe sibi obviantibus summis excipitur studiis, diuque expectatus à venerabili suamet genetrice profusus præ gaudio lacrymis, amplectitur. Quibus suum ilico aperiens promissum, qualiter hoc ad unguem perduceret, eorundem ad hoc consilium enixè petit & suffragium. His tandem id collaudantibus, præque petitioni aspirantibus, statim Rex Abbatiam in Magdeburgensi civitate, incipiens ecclesiam mirum in modum in loco, ubi sancta requiescit Edith, & juxta quam post obitum suimet pausare desideraverat ipse. Hactenus Ditmarus. Pugna-*

A 2

tum

tum est autem contra Vngaros anno Christi 955. Vt Frodo-ardus, Regino, Schafnaburgensis, Contractus, Frisingensis & alij. Marianus Scotus ponit annum 956. Sigebertus Gemblacensis 957. Quæ differentia est biennij. Discrepantes scriptorum sententiæ conciliari non incommodè posse videntur, si credamus Ottonem Augustum maturè de condendo monasterio consilium cepisse, aliquid conatum, sed bellis civilibus, aliisque impedimentis intervenientibus, ante victoriam contra Vngaros pium negotium conficere non potuisse. De ultimis urbis Madgeburgensis antiquitatibus, incertis conjecturis nitentibus, nihil hic addendum putamus, quod veritate nititur, minimè dissimulandum. Tempore Caroli Magni aliquid celebritatis habuisse constat ex Ansegiso, Constitut. Caroli M. lib. 3. cap. 6. Vbi sequentia verba leguntur: *De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum & Havarorum pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxonia, usque ad Bardenvich, & ad Magadeburg & ad Erpesfurd, & ad Halaxstad & ad Foracheim & ad Breemberg & ad Reginisburg, & ad Lauriacum: & ut arma & brunias non ducant ad venundandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus Palatij, altera vero medietas inter jam dictos Missos & inventorem dividatur.* In hac constitutione Brunia non significat thoracem, sive loricam, ut Fridericus Lindenbrogius glossario ad veteres Germanorum leges annotavit, sed galeam, eamque cristatam, ut placet Luthero in Etymologiis Germanicorum nominum. Frequens vocabuli Brinne usus in antiquis Heroum carminibus, ubi expressè à clypeo distinguitur. Missi fuère iidem cum Impp. Regumque legatis. In exstructione monasterij San-Mauriciani Otto Augustus usus est fidei opera Billingi Comitis, ut alio diplomate notum facit Imp. idem. Hic Billingus conditor est familiæ Ducalis, cui ab eo Billinganæ nomen inditum, Parens Hermanni, qui primus.

BERGENSIS.

primus in familiam suam hoc dignitatis fastigium intulit. Non autem propter amoenitatem solummodo loci Magdeburgum condendo monasterio elegit Otto, sed quòd persuasum haberet, finitimas gentes Henetas, immanes & barbaras, verique Dei hostes, fide & industria religiosorum novi huius collegii Patrum ab Idolomania Ethnica avocari & ad professionem doctrinæ cœlestis invitari & adduci posse, in quo nequaquam opinione sua falsus est. *Etenim hæc amatrix, speculum & exemplar totius religionis: hæc amata supernæ congregationis in continuâ laude Regis cœlorum & ceremoniis, multorum venerabilium Episcoporum & Abbatum nutritrix facta, Christi bono odore diversas terrarum Ecclesias respersit, & inter omnes cœnobitas melioris testimonii regulare iter S. Patris Benedicti irreprehensibiliter hæctenus incessit, utor verbis Chronici Magdeb. MSC.*

Absolutis, quantum opus erat, præter fanum ipsum, omnis generis ædificiis, de coloniâ monachorum huc transfereudâ deliberabatur. Florebat illâ ætate famâ pietatis, studiorum & disciplinæ, antiquissimum S. Maximini ad pervetustam Trevirorum urbem familiæ Benedictinæ cœnobium sub Ogone (aliis est Hugo) ejus loci abbate tricesimo sexto. Ab eo Imperator impetravit ANNONEM honestissimâ apud Cattos familiâ natum, spectatæ doctrinæ & integritatis virum: quem cum sodalitis suo in Saxoniam adventantem, dici vix potest, quàm comiter Cæsar exceperit, quàm benignè tractarit, quântis beneficiis affecerit, traditis ei regiæ stirpis procerum filiis moribus & pietate instruendis. Trithemius translationem hanc collocat in annum 940. & Annonem vocat *virum in scripturis tam divinis, quam secularibus, multum eruditum, & non minus integritate morum, quàm scientia venerabilem.* Quatuordecim annis præfuit *gregem multiplicans, eique verbo & exemplo invigilans,* ut Chronicon Magdeb. MSC. Accidit autem, ut Wormaciensis Antistes Richowo (Frodoardo est Richoo, aliis Richovicus)

cus) vitam cum morte commutaret, cui cum idoneus quæretur successor, Annonem eò Cæsar misit. Quam verò utiliter fideliterque episcopatu isti per totos 24. præfuerit annos, docent Wormaciensium Annales. Hoc non dissimulandum, defuncto Bosone primo Merseburgensi Episcopo Annonis fvasu inductum esse Cæsarem, ut Gisclarium hominem naturâ *mobilem* (ut habet codex MSC. Ditmari, nam in edito legitur *nobilem*) ei substitueret: quâ in re, tam Imperator, quam Anno, opinione sua vehementer falsi sunt.

Etenim Gisclarius mediocritate non contentus, impellente cum magis magisque impotenti ambitione, ad maiores honores animum adjecit, quos demum insignitâ fraudulentia impetravit, Cæsare circumvento, Romanis primatibus, quod ei proclive, auro corruptis, Magdeburgensis archiepiscopus designatus est. Tum verò actum fuit de Episcopâ Merseburgensi, cujus potiozem partem Gisclarius sibi vendicavit, reliqua, ne quam pateretur invidiam, inter vicinos Episcopos Fridericum Cicensem & Volcholdum Misnensem, dispertitus est. Jurisdictionem Ecclesiasticam commisit Anastiti Halberstadensi. Utque superesset Merseburgi aliquod cultus divini vestigium, omnisque postliminio instaurandi Episcopatus desiti occasio crepta videretur, collegium ibi monachorum instituit, gubernatione commissâ Otrado, cœnobitæ Bergensi, quo paullopost demortuo, substituit ei Heimonem, ejusdem Sodalitij monachum. Verum Henricus Imp. hæc omnia in integrum restituit anno 1005.

II. Annoni Berbetomagum ad Vangiones misso, successor datur OTHWINVS, quemadmodum à monumentis Magdeburgicis & Egghardo, catalogo Episcoporum Hildesheimensium appellatur, nam Casparo Bruschio *Ochuving*, Ditmaro est *Aduinus*. Factum id anno 950, ut editus Abbatum Bergensium catalogus annotavit, à quo dissentiens Bruschius

schius historiâ Episcoporum Hildesheimensium annum 955. inculcat.

Evocabatur Othwinus ex monasterio Angiensi in insulâ lacus Bodanici prope Constantiam sito: gubernavit scholam suam monasticam annis circiter novem, *doctus & zelo religionis fervidus*, ut Trithemius Chron. Hirsaug. translatus deinde Hildesheimium, ubi Derhardo viam universæ carnis ingresso, alius desiderabatur. Vixit in arduo munere annos 29. Sub hoc Abbate Otto Imperator bello aggressus est Sclavos, quibus fuis, fugatisque victor domum reversus spolia & manubias patribus Bergensibus donavit anno 955. quo eodem Ottoni Imp. ex Adelheidâ Augustâ natus est filius cognominis, post in imperio successor.

III. RICHARIVS cœpit anno 959. Hujus tempore Otto Imp. ardens studio propagandæ religionis Christianæ Magdeburgi archiepiscopatum condidit. Molitus fuerat pium hoc negotium ab aliquamultis annis, neque quicquam ei obstabat, præterquam consensus Episcopi Halberstadensis, sub cujus Iurisdictione ecclesiasticâ erat Magdeburgum cum vicino tractu. Mortuo Bernhardo (id erat Pontifici nomen) Cæsar substituit ei Hillebardum, ex comitibus Werlensibus in Westphaliâ progenitum: Cujus parens Ericus, vir fortis & magnanimus, exceptoque uno isto facinore, omnium Judiciis probatus, propter conspirationem contra Cæsarem nuper capite truncatus fuerat. Is episcopus, ut erat tractabilis & mansuetus, Impetatori denuo negocium urgenti, amplissimæ diœcesis suæ partem non modicam concessit, Hattone Moguntino Archiepiscopo Metropolitano, & Joanne terriodecimo Pontifice Romano rem confirmantibus. Ita initium habuit archiepiscopata Magdeburgensis anno filij Dei 968 ut plerique omnes annotarunt: Cui cum Præsulem idoneum Cæsar quæreret, Anno Berbetomagensis & Othwinus Hildesheimensis, Antistites, nuper

nuper archimandritæ Bergenses, auctores fuere, ut Richarium abbatem, quem propter singularem eruditionem ac prudentiam itineris Romani comitem habuerat, archiepiscopum crearet: Verum aulicorum quorundam sycophantiæ effecerunt, ut Richario, ejus rei gratiâ accersito, neglecto, alium Adelbertum videlicet, ecclesiæ præficeret.

Quid crimini datum sit viro innocenti, non exponitur: ex Ditmaro & annalibus Magdepurgicis constat, Cæsarem lectâ quadam epistolâ clanculo ipsi obtrusâ animum à Richario prorsus avertisse. Ferebat ille repulsam iniquo admodum animo, deque ignominia vindicandatorus cogitabat: Verum divinâ factum est prudentia, ut non multò post de vita decederet, ne fortè per imprudentiam ultione doloris religiosa personâ indigna sese pollueret, vir alia omni laude cumularus.

Quàm verò diu in ipsa urbe Magdeburgo habitarent monachi, quove tempore in novum extra urbem immigrarent domicilium, difficile erit pronuciare. Sunt qui annum egressionis nominent 965. ut statuatur in priore eos monasterio degisse annos 29. Etsi autem loco opportuno & commodo, in colliculo prope Albim urbi vicino, quem ex Chron. Magdeburg. MSC. Brotusius montem Riddagi indigitat, fanum ipsis ædificatum, habitationes etiam prioribus non inferiores præparatæ essent, ut locum tantum, non hospitium mutasse viderentur, invitissimè tamen opido in suburbana exhibant monachi, suam deplorantes infelicitatem, quod à Mausoleo S. Edgides Augustæ, cujus beneficio primùm ibi consedissent, nullâ suâ culpâ avellerentur: quos Cæsar novis fundis & censibus collegio collatis placavit. Emigrationis dies nominatur nonus Sextilis, in Fastis Ecclesiæ Latinæ Divo Romano martyri sacer, divique Laurentij festum proximè antecedens, ab illo tempore subsequenter aliquot seculis semper acerbus, semper luctuosus. Etenim cœnobitæ omnes & singuli recurrente
hac

hac egressionis suæ die, ut sibi persuadebant, inauspicatâ, bini pullis vestimentis incluti & discalceati monasterio exiabant, templumque ingressi cathedrale sacro solemni memoriam exsiliij renovabant. Sed mos iste nullâ ratione suffultus per reformationem abrogatus est. Anno 968. regni sui 33. Imperiij 7. Otto Augustus monasterium jam consummatum, possessionibus etiam & proventibus annuis sufficienter donatum, archiepiscopo Magdepurgensi subiecit, ut ille inspector collegij, ephorus & ἐπυδιώκτης esset perpetuus.

Hoc ipso anno mortem obiit Richarius, à Georgio Fabricio perperam Richardus appellatus, nam in priore nomine consentiunt Ditmarus Episcopus & Annales Magdepurgici.

iv. HERDINGVS, cœpit anno 968. præfuit annis 22. Quinto gubernationis anno amisit Phrontisterii sui conditorem & Evergetam munificentissimum, Ottonem M. Imp. Augustum, quem Abbas Vrspergensis *amorem generis humani nominat*: Marsilius Patavinus *consilio prudentem, Iudicio iustum, bello strenuum, clementiâ admirandum, omni honestate & pietate eximium fuisse, affirmare nullus dubitat.* Obiit Herdingus 990. Non. Sextilis.

v. RIDDAGVS, Ditmaro lib. 4. Riddagus, eodem mense electus inauguratur à Giselero Archiepiscopo Magdeburgo, præfuit annis 15. utiliterne, an secus exploratum non habeo. Nono gubernationis anno Adelheidis Augusta, altera Ottonis M. conjux, naturæ satisfecit, secuta filiam Mathildan summam sacerdotem in Parthenone Quedlinburgensi. Augusta moritura collegio Bergensi legavit vineas, quas in vicina possidebat: item mansos aliquot agri, litteræ veteres houbas nominant. Anno 1003 Riddagus cum Henrico 2. Imp. quem Claudum appellant, interfuit inaugurationi monasterij Monachonaumpurgii (Ditmarus lib. 7. *novam civitatem vocat*) ut referunt annales, quibus si fides adhibenda, necesse

est cœnobium hoc aliquandiu desolatum fuisse: est enim antiquius, ut infra patebit. Removetur ab officio Riddagus à Dagano (Ditmaro est Tagino) Archiepiscopo Magdepurgio: causam annales non exprimunt, haud obscurè tamen innuunt, invidorum malevolentiam & calumnias innocenti infortunium importasse. Quod facilè apud me fidem invenit, locum enim non honorem amisit, translatus Lunepurgum ad Monasterium S. Michaelis, ab Hermanno Saxonie duce Comitis Bilingi F. anno 971. conditum. In eo cœnobio vivens Riddagus, ab Henrico Claudio Imp. donatur prædio quodam Latheburum, pagi Hartegani, sub comitatu Ludingeri, mense Decembri. Diploma habet appendix Chronici Mindenensis, editi ab Johanne Pistorio. Catalogus Abbatum monasterii Luneburgici à Davide Chytreo lib. 20. Saxonie suæ insertus, admodum vitiosè *Riccasum* appellat, qui error fortè à Librario. Ad honorem & famam Abbatis Riddagi totiusque Phrontisterii Bergensis non parum facit, quod in eo circa hæc tempora vixit Ditmarus ex Comitibus Walbecensibus in Holtlandia prope Helmæstadium ad Alarim fl. habitantibus, originem ducens, qui postea Walbecæ in canonicorum collegio, à majoribus suis instituto, Præpositum, demum Mersepurgi ad Salam Episcopum egit. Scribit ille lib. 4. historiae, triennium in schola monastica Bergensi consumsisse. Sunt qui affirmant, S. Brunonem, dynastam Querfurtensem, propter annunciatum de Christo Dei filio Evangelium à Borussis idololatræ martyrio coronatū, in eodem Phrontisterio hoc tempore vixisse: de quo certi nihil affirmare possum. Ditmarus quidem lib. 2. Brunonem suum *conscholasticum* vocat, quod an de scholâ cathedrali Magdeburgica, in qua uterque à Giddone Philosopho institutus est, an verò de Bergensi cœnobio intelligendum sit, equidem non satis scio.

v. ALEKERVS cœpit anno 1005. quo antecessor ex-
aucto-

auctoratus est. Evocavit eum Daganus Archiepiscopus ex coenobio Poledensi, olim à Mathilda Augusta, Henrici auctoris conjugis, exstructo. Monasterium illud Dagenus, nescio qua auctoritate, in Præposituram converterat, collocatis ibi clericis parùm religiosè viventibus, quâ in re adjutor ei Alfkerus. Uterque inconsultè egisse creditus justam rectius judicantium reprehensionem evitare minimè potuit. Verum peccat & sapiente sapientior. Crediderim Ditmarum Mersepurgensem lib. 7. de hoc Abbate loqui, locum ideo integrum adscribam: *Insuper, inquit, pii Abbatis Alfkeri quandam actionem egregiam in exemplum imitabile profero: Hic præter cæteras virtutes suas hoc in usu habuit, quòd nomen suum super Altare quodlibet scripsit, & dum ipse Missam caneret, in tantum flevit, ut maxima corporalis pars humectaretur, nil hæsitans, quòd sic scriptum est, lacryma pro peccatis corde tenus effusa, divinam non modò poscunt veniam, sed etiam impetravit. Et ut liberius cæleste suffugium implorare sibi voluisset, cunctis debitoribus suis misericors fuit.* Hæc ille. Migravit ex hac vita Alfkerus anno 1009. Kal. Quintilis.

VII. SIGFRIDVS, hujus nominis primus, successit Alfkeri, natus ex comitibus Walbecensibus, proavo Lothario, avo Henrico, patre Sigfrido, frater ejus fuit Dithmarus Mersepurgensis Antistes toties à nobis laudatus. Sumit Sigfridus vestem sacram in monasterio Bergensi admodum Adolefcens: cumque tempore Riddagi proavunculo *Sigfrido Stadensi comite* ab Aschomannis Piratis capto, obses à matre *Cunigunde, Henrici Marchionis Stadensis filiâ*, destinaretur, à Riddago ei denegatur. Historia exstat ap. Ditmar. lib. 4. Abbatis dignitatem promeruit doctrinæ eruditione, quâ pollebat eximiâ, satisque constat, eo præsidente studia litterarum & pietatis exercitia in hoc Phrontisterio maximè viguisse.

Vnum saltem dabo exemplum. Henricus Claudus Aug.

condidit Episcopam Papebergensem magno sumtu. Eam liberalem beneficentiam æmulata Augusta Cunegundis, Sigfridi Comitis Palatini F. ad eandem urbem extruxit monasterium S. Michaelis, quod vulgo Montem Monachorum appellant. Ei præfectus est abbas *Rathodus*, vir optimus, qui in scholâ suâ recte constituendâ fideli consilio & opera Sigfridi Bergensis usus, collegit nobiles & ingenuos adolescentes, pietate & litteris imbuendos, qui ubi progressus in moribus & doctrinâ fecissent, vocarentur inde ad majores dignitates. Ita de voluntate Cæsaris ad imitationem scholæ Bergensis novum Franciæ coenobium conformatum est. In officii administratione perquam gnavus & vigilans erat Sigfridus, delectatus structuris splendidis & magnificis. Jecit fundamentum novi presbyterij sive chori, in templo Joanni Baptistæ & Apostolorum principibus Petro & Paulo consecrato, perfecturus totum sacræ ædis ædificium, nisi ingens & insperata calamitas intervenisset, eam ex lib. 7. Dirmari libet hîc apponere. *Interea in monte S. Joannis Baptista, qui juxta Parthenopolin positus, eidem est cum appartenentibus universis subditus, res admodum miserabilis 12. Kal. Augusti & Dominicâ nocte accidit. Horum in dormitorio confratrum lucerna quedam ardens major solito illuxit, & proxima occupans, hoc ibidem quiescentibus, id serò intelligentibus, voraci flamma consumpsit: Et cum tale periculum omnes evaderent, unum ex his causa sacerdotalem eripiendi apparatus subito regressum, & in medio ignis peccata suimet consistentem, perdiderunt. Hujus nomen erat Henricus. Dehinc monasterium ab ejusdem loci Abbate Sigfrido octo annis optimè elaboratum, ardens presentium posteaque advenientium corda turbavit. Insuper duas ejusdem capellas cum refectorio, cæterisque adherentibus officinis, ignis latè flagrans absorbit: de cujus avaris faucibus divina pietas & confluentium summa devotio, omnes sanctorum reliquias, & maximam thesauri partem eripuit. Facto autem mane, urbis prædictæ habitatores, & qui ibidem præsidio ab Imperatore*

sore

lore relictis fuerant, conveniunt. detrimentum tale nimio mœrore conqueſti. Corporis autem peruſti tenues favillas manè fratres ſummoperè colligentes ſuis appoſuère prædeceſſoribus, Abbatiſque ſuo tunc abſenti per nunciũ ſuimet eventum miſerabilem indixere: qui ut hæc comperit, ſuis ſpecialiter accidiſſe peccatis cognoſcens, quia emendare nequivit, honeſtâ gravitate tulit. Hucusque Ditmarus. Incidit hæc calamitas in annum 1017. Studuit repatationi Sigfredus, quantum potuit, adjuvante pios conatus Cæſare aliſque ex nobilitate proceribus, quorum munificentiam non pauci de plebe æmulabantur ſtudioſè. Multam comparabat monaſterio ſupellectilem eccleſiaſticam argenteam & auream, & in his crucem auro gemmiſque coruſcantem: capſulas duas argenteas reliquias ſanctorum continentes: calicem prægr. u. dem inauratum. Præterea veſtes ſacras ſericas & damaſcenas, libros rituales, thuribula & æramenta. Munificentiam iſtam adjuvabant, fratres Germani Ditmarus Epiſcopus, Henricus & Fridericus, ejuſdem generis, nec diſparis precii donaria cœnobio conferentes.

Eo ipſo anno, quo infortunium Bergam opprimebat, Sigfridus Abbas fuit in comitatu Cæſaris Henrici introducentis in monaſterium Munchenaumburgense Abbatem Herdingum ſuccedentem Echardo, viro doctrina & virtute ornatiffimo, qui cum iſti collegio Secundus in ordine annis 23. menſibus 5. præſuiſſet laudabiliter, ad Epiſcopatum Pragenſem transferri meruit. In hiſtoriis Boemicis nominatur *vir pius & honeſtæ conſervationis.*

Triennio poſt, increbeſcente famâ de præclarâ Sigfridi pietate, eruditione & prudentiâ, à clero populoque Monaſterienſi in Weſtvalia ad gubernationem diœceſis iſtius honorificè evocatur. Geſſit morem collegio, idque eo libentiùs, quod meminiffet ejus loci Antiffitem Theodoricum, ſanguine proximo ſibi conjunctum, apud ſubditos & vicinos integritatis &

moderationis famam promeruisse, quam cum Iehova bene iuvante imitaturum se animo constitutum habebat. Crancius Metropol. lib. 4. cap. 5. scribit, cum singulari studio præbendas & facultates Ecclesiæ uberiore reddidisse, intusque & foris omnia in meliorem & uberiorem statum redigisse.

IX. MARQVARDVS, cæpit anno 1020. fuit in functione annis 5. mortuus anno c10 xxv. De rebus ejus gestis nihil invenio. Proximo ante ipsum anno rebus humanis Grondæ ad Visurgim excessit Henricus 2. Imp. qui à cœnore luxato *Claudus*, à mansuetudine *Humilis*, à vitæ integritate *Sanctus* appellari promeruit. Monachi vulgò parentem suum nominant, teste Chronico Laurisheimensi. Vixit annos 52. Imperavit 23. menses 5. obiit 3. Idus Qvintilis.

IX. BRVNO, comes Walbecensis, Sigfridi filius, Ditmari Episcopi & Sigfridi Abbatis frater. Puer in scholam Corbejensem ad Visurgim à parentibus ablegatus, initia doctrinæ coelestis, litteras bonasque artes studiose addidit. Missus deinde Magdeburgum in monasterio Ioannis Baptistæ sacram vestem induit, sumtam è manibus Sigfridi fratris, præsentibus Henrico & Friderico itidem germanis.

Cum non pœniteret collegium Bergense familiæ Walbecensis, demortuo Marquardo, concordibus suffragiis Abbas eligitur, neque multò post cœnobij Munchenaumburgensis gubernator designatur, sic ut rarò exemplo duobus monachorum sodalitatibus simul præesset. Pugnabat hoc institutum cum moribus superioris ævi: pugnabat cum piorum Imp. sanctionibus. Superat enim apud Ansegisum in capitulis Karoli M. & Ludovici Imp. lib. 6. cap. 153. hujus sententiæ lex: *Vnum abbatem duobus monasteriis interdiciamus præsidere.* Sed hæc majorum decreta, utut pia & salutaria, paullatim antiquata sunt. Munchenaumburgum, ut & hoc in transcurso addam, præclarum ad Salam fl. cœnobium conditum est

est à Gerone archiepiscopo Coloniense & Ditmaro marchione Lusatiae fratribus germanis, Christiani comitis Lusatiae ex Hiddâ Geronis Saxonici marchionis F. filiis, anno 975. Ultra novennium in scholâ suâ monastica Bruno commorari non potuit, nam Ditmaro Verdensi antistite defuncto, ei successor mittitur anno 1034. A Tritthemio lib. 4. de illustribus viris ordinis Divi Benedicti, cap. 239. vocatur *vir magni ingenii, animum dignum Pontifice possidens, qui non minus in spiritualibus, quam temporalibus profuerit.*

x. SIDAGVS. Brunone Verdami translato, ex coenobio Hirsfeldensi evocantur duo, Sidagus & Albinus: hic missus est Munchenaumburgum, illi commissâ est Berga. Experientia docuerat, non esse è re & utilitate monasteriorum, ut ab uno duo vel plura gubernarentur: enasci inde detrimentum tam religioni, quam rei familiari. Hirsfeldense coenobium, ne hoc negligam, olim illustri scholâ monasticâ celebre, fundavit Pipinus rex Franciæ, Karoli Magni parens, anno 738, attributis ei plurimis in Hassiâ & Thuringiâ prædiis ac censibus. Fuit in gubernatione Bergensis coenobii Sidagus annis 17. Tempore ejus ex hoc loco deducta est colonia ad ripam orientalem Visurgis fl. è regione urbis episcopalis Mindæ, auspice Brunone ejus loci Antistite is. ex illustri familiâ Saxonicâ profato. Is cum perquam esset religiosus, ut cultum divinum in sua dioecesi amplificaret, monasterium condidit in ripa Visurgis. quam dixi, & absolutum perfectumque monachis, è Bergensi coenobio evocatis, habitandum contradidit. Ante episcopatum fuerat Basilicæ Magdeburgensis Canonicus, familiaris Sidago ejusque antecessori Brunoni, archimandritis Bergensibus. Novum igitur monasterium Divo Mauricio, Magdeburgensium patrono tutelari, in memoriam beneficiorum illic acceptorum consecrari voluit. Sicut alium adjungeret Patronum *Simeonem cremitam*, fortè famo-

famosum illum *Styliten*, de quo Græci scriptores ecclesiastici in ita perquam ineptè fabulati sunt. Referuntur hæc ad annum 1042. qui Brunonis Pontificis tertius. Primus loci abbas memoratur *Meinwardus*:cujus successores cum per aliquot secula Visurgim accoluissent ejusque frequentes exundationes damnosas, præterea raptorum incursiones sustinuissent, per tæsi injuriarum loci & hominum de consensu Episcopi & majoris capituli, ut vocant, civibus nonnihil obstrepentibus, in urbem immigrarunt, condito novo cœnobio, quod hodieque superat S. Simeonis nomine, quod cum vicinâ portâ communicat, notum. Facta est mutatio sub Episcopo *Wulbrando Haltermundio* anno 1035 Dominicâ Latere. Sed ad Sidagum redeo. Is Priorem, quem vocant, habebat *Ditmarum*, ex hereditate paterna opulentum, qui erga monasterium summâ utrens liberalitate, in sacros usus calices, hicrothecas, aliaque ejus generis vasa & instrumenta argentea & aurea in sui memoriam relinquebat. Abiit è vita Sidagus 17. Kal. Decembr. anno 1051.

• XI. BERNHARDVS, cæpit anno eodem, præ fuit annis 25. obiit 1076. Nonis Junii, quem diem emortualem ut cænobitæ sacro annuo insignirent animæque in purgatorio pœnis subjacenti parentatione opem ferrent, villam *Brumbejensem* monasterio legavit. Erant tum temporis magni in toto Imperio Romano motus, ad clavum sedente Henrico 4. qui in adolescentia negligenter educatus in Juventute insolentissimè rempublicam administrabat, in reliquâ totâ vita adversarios expertus multiplices, juxtaque implacabiles. Qui Pontifices maximi tum erant Romæ, oppugnabant Cæsarem, gerebant bella, totique politicis implicati & immersi negociis ecclesiastica, quæ ipforum propria, supinè negligebant, unde evenit, ut regularis observantia, tam in canonicorum collegiis, quam monachorum contuberniis, protrita & conculcata

evanc.

evanesceret, totusque ordo ecclesiasticus, olim merito suo venerabilis & honoratus, despiciatui esset proque nihilo duceretur. De monachis hunc in modum disserit Henricus de Erfordia, lib. de reb. memorabil. Illo tempore quorundam Pseudomonachorum privata ignavia nomen monachorum valde infamavit. Illi omisso studio divinarum rerum, operam totam pecuniis & quasiibus infumebant. Illi pro Abbatibus & Episcopatibus aures Principum oportune detundebant, & per ambitiosis praruptum & male paratarum pecuniarum profusionem grassabantur ad ecclesiasticas dignitates seculares & emtores largitionis suae immoderantia excludentes. Nec venditor tantum audebat exposcere, quantum emptor paratus erat exsolvere. Mirabarur mundus, unde iste fluvius scaturiret pecuniarum: Vnde Crasi & Tantalii opes in privatos homines congestae fuissent, & eos potissimum homines qui Crucis scandalum & paupertatis titulum praferrent, & praeter simplicem victum & vestitum nihil rei familiaris se habere mentirentur. Ista Dominici agri Zizania, hac vinea Domini arida sarmenta & stipulas aeterni ignis praeparamenta sacri gregis corpus quasi tabo quodam infece- rant.

XII. BERNHARDVS II. cepit anno 1076. ordinatus à Wernero (auctor apologiae pro Henrico IV. Imp. Wezelinum vocat) archiepiscopo Magdepurgio. Fuit spectamen & exemplar irreligiosi Pastoris & prodigi Patris familiars. Majorum anathemata & sacra legata ipse degener heres nefaria sacrilegaque manu ab altaribus avulsit, ex scriniis eruit, personisque indignis dilargitus est. Hirsaugia, alias satis locupleti, partem spoliorum transmisit, partem archiepiscopo dedit: nonnulla cesserunt hominibus profanis, quibus parasitis & adulatoribus gaudebat. In annalibus ab Ecclesia alienata commemorantur singula: nos omittimus. Distracta tum fuerunt & dissipata piorum Imperatorum, Regum & Principum donaria, religiosae pietatis, & munificentiae praeclara
 C
 monu-

monumenta, quæ in sui memoriam & pro remedio animarum (sic enim persuasi erant) asservanda reliquerant. Hic infidelis dispensator & servus nequam, non Pastor, sed mercenarius, non parens, sed vitricus, ab archiepiscopo loco motus est, idque Iure & merito: Non desunt, qui sua sponte, urgente conscientia, quod incredibili apud suos invidiâ deflagraret, passimque male audiret, munus resignasse scribunt. Factum anno 1096.

XIII. HILDEBOLDVS, (annalibus Magdeburgicis MSC. est *Hildebodo*) postquam toto biennio monasterium sine præside fuisset, agente interim curam ejus Hartwico archiepiscopo, ex Cœnobio Hirsaugiensi evocatus solemniter in auguratur anno 1098. Eruditionis nomine plurimum prædicatur, rigorosam agens vitam, assuefactus ad eam in collegio Hirsaugiensi sub *Wilhelmo XII.* ejus loci antistite, viro ut credebatur, resque ipsa fidem faciebat, sancto. Introduxit Hildeboldus in cœnobium suum *Reformationem Cluniacensem*: de qua ut per occasionem aliquid intexam, non videtur abs re esse. *Odo* primus Cluniacensis in Burgundia Abbas, animadvertens regulam à Divo Benedicto monachis olim præscriptam, plane antiquatam, minimeque observari amplius, id sibi negotii datum credidit, ut fugientem quasi sisteret, obscuratam illustraret, suoque collegio, & si fieri posset, aliis etiam commendatiorem redderet. Quod institutum cum ex animi sententiâ cessisset, collapsi ordinis Benedictini instaurator, juxtaque societatis Cluniacensis auspex habitus est. Hujus familiæ ritus & consuetudines describere unus & alter, à quibus peti possunt. Quia vero Cluniacenses religiosius, quam alij monachi vivere crederentur, ei sectæ à loco nomen inditum est, quæ postea ob novitatem longè lateque disseminabatur. Trithemius numerat ultra 70. monasteria, quæ cum Cluniacensibus & Hirsaugiensibus societatem inie-

rant

rant eosdemque ritus sequebantur. Sed hanc ordinis reformationem obscuravit *Bursfeldensis* in Saxonia nata, de qua suo loco aliquid dicendum veniet. Cluniacense coenobium, ne hoc dissimulemus, condidit *Berno Comes Burgundus & Abbas Gigniacensis* anno 895. testes *Sigebertus & Trithemius Chronico Hirsaug.* Introducta in Bergam normâ vivendi Cluniacensi, cessavit mos suprâ memoratus, quo monachi coenobio egressi in summum se templum recipiebant, suæque emigrationis memoriam non sine dolore renovabant.

Obiit *Hildeboldus* 6. Idus Junii anno 1113. cum triennio antè monasterium *Hildenslebiense* ad *Oram fluvium* ex *Præpositurâ* in abbatiam mutasset, *Alberico* primo Abbate ex collegio suo eo transmissio. Conditum scribitur *Hildeslebius* 958. habuitque initio virgines sancti moniales, quæ fugatæ inde, cum Imperante *Ottone* tertio à *Slavis* cremantur.

XIV. H V G O ex schola *Hirsaugiensi* per *Adelgotum* archiepiscopum *Magdepurgensem* accitus substituitur *Hildeboldo* condiscipulo. Designatus fuerat alio in loco Abbas, verùm quod collegio minus probaretur, exclusus *Hirsaugiam* redire ibique meliorem fortunam expectare coactus est. Florebat tum temporis *Hirsaugia* doctrinæ cælestis, omnium disciplinarum artiumque liberalium studiis, ut uno eodemque tempore plures centum quinquaginta secum habuerit monachos Abbas *Wilhelmus*, cuius suprâ meminimus. Hi omnes vacabant studiis litterarum piisque precum, cantionumque exercitiis: Oeconomicos labores procurabant conversi, sive laici, quorum non pauciores quadragenis ibi visebantur. Ex eruditioribus desumebantur, qui vel ad *Episcopatus*, vel monachorum collegia gubernanda mitterentur. Recenset *Trithemius Chronico Hirsaugiensi* ad annum 1083. quinquaginta octo Abbates diversis temporibus ex *Hirsaugia*



ad alia monasteria amandatos. In horum numero est Hugo Bergensis, eidem Trithemio *vir magnæ prudentiæ, honestatis & religionis*. Ut autem palàm fiat quæ aut quibus, tam in Canonicorum, quàm cœnobitarum collegiis studia fuerint & exercitia, insignem ex vita Meinweri Episcopi Paderbornensis narrationem hic inseram, quæ talis est. *Studiorum multiplicia sub eo floruerunt exercitia. Et bona Indolis iuvenes & pueri strenuè instituebantur, normâ regulari proficientes, haud segniter in claustrali disciplinâ: omniumque litterarum doctrina claruit hic sub Imadò episcopo: sub quo in Paderbornensî ecclesia publica floruerunt studia: quando ibi Musici fuerunt & Dialectici enituerunt, Rhetorici clarique Grammatici: quando magistri artium exercebant trivium, quibus omne studium erat circa quadrivium. Vbi mathematici claruerunt & Astronomici habebantur, Physici atque Geometrici. Viguit Horatius magnusque Virgilius, Crispus & Sallustius & Urbanus Stadius. Ludusque fuit omnibus, insudare versibus & dictaminibus iucundisque cantibus. Quorum in scriptura & picturâ jugis instantia claret multipliciter hodierna experientia, dum studium nobilium clericorum usu perpenditur utilium librorum.* Hactenus vita Meinweri. Nos revertimur ad Hugonem Bergensem.

Non diu ille præfuit, neque quicquam de eo reperi, præterquam quòd memoratur interfuisse inaugurationi monasterii Sanctægidiani apud Brunonis vicum anno 1115. Condidit Ægidianum Gertrudis Ecberti primi marchionis Saxonie F. Vxor Henrici Crassi Comitæ Northemij, cui profectitiam dotè attulit Brunsvigam cum ei adhaerente peramplo districtu. Inaugurationi adfuit Gertrudis gener Lotharius, Saxonie dux, ejusque uxor Richensa, & Theodorus Pontificis Romani in Germaniam legatus. Sacrum, quod officium vulgò vocant, peragit Reinerus Halberstadensis Episcopus. Inspectio novi collegij demandata est Henrico Abbati Bursfeldensi, cujus Phrontisterium Ægidiano sedecimannis antiquius cæpit anno 1099. au-
spice.

spice Henrico Crasso Comite Northemio, quem supra nominavi. Excessit è vivis Hugo 1119. pridie Idus Decembris, cum biennio ante præmisisset *Bernhardum* Baronem sive Dynastam Domeslebium, qui non adeo nuper religione tactus, quod monachatus inter præcipua pietatis instituta haberetur, cucullum induerat, seque fratribus conjunxerat Bergensibus: Moriturus *Domeslebius* avitum familiæ suæ domicilium archiepiscopatu, *Ileburgum & Honhamen* Phronisterio Bergensi legavit. Dies ejus emortualis incidit in Kalendas Decembris.

xv. ARNOLDVS. Eodem mense, quo Antecessor factis concessit, electus est, inauguratus à Gumperto Havelbergensi Antistite. Anno 1130. mense Februario ad fuit Lothario Imp. comitia habenti Goslaræ. Data est archiepiscopæ Magdepurgensi Abbatia Alslebiensis in ripa Salæ, exorato Imperatore à Nortberto Antistite. Magnæ fuit auctoritatis Arnoldus apud summi templi Canonicos: Cum enim defuncto Rotgero novus eligendus esset archiepiscopus, & plerique *Conradum, Gerhardi F.* Dynastam *Qverfurtensem* Canonicum primariæ ædis designarent, Arnoldus pertracto in sententiam suam præposito Friderico, electionem impedivit prætendens, illum, qui subdiaconus esset, nec posse nec debere eligi. Idem suâ auctoritate effecit, ut vacante iterum post mortem Friderici archiepiscopatu, *Wigmannus Bavarus* in cathedram Magdepurgensem collocaretur.

Anno regiminis 15. monasterium Munchenaumburgense gubernandum accepit, *Alberone* Abbate ad Episcopatum *Basileensem* à Lothario Imp. translato. Christianus Vrstisius Chron. Basileensis lib. 2. *Adalberonem* vocat, facitque Comitem *Friburgium*. Quæ præterea in tempus gubernationis annotata digna inciderunt, ordine percurramus. Erat *Ballenstedi* ad Sylvam Hercyniam collegiata canonicorum ecclesia, ab *Esico IV. Ottonis III.* Comitis *Ballenstedij & Ascaniensis* E.

anno 943. condita. In monasterium illud Otto cognomen-
to Dives Esici v. filius introduxit familiae Benedictinae mona-
chos, è Bergâ Magdepurgicâ desumptos, urgente negocium
Arnoldo Abbate. Mutationi id temporis insolenti & invi-
diosæ causam præbuisse scribitur *Ludovicus* Esici F. Ottonis
comitis frater nuper in Nova Corbeja ad Visurgim mona-
chum agens, qui familiae Benedictinae, cui nomen dedisset,
incrementa amplificationemque etiam in solo patrio quære-
bat. Brotusius secutus Henricum Basseum Monachum Bal-
lenstadensem, auctor est, factum esse anno 1100, qui centesi-
mus est & quinquagesimus septimus post primam monasterij
fundationem. Ab hac sententia discedit Trithemius, Chro-
nico Hirsaugiensi nominans annum 1124. cui adstipulatur
Paullus Langius Chronico Citizenensi. Missus est Ballenstetum
primus Abbas *Ioannes*.

Non multo post Arnoldus aliò coloniam è sua schola
deduxit: res ita se habet. Erat *Ammensleby* in diœcesi Magde-
purgicâ collegium canonicorum secularium, ut coenobij an-
nales volunt (antiquitates *Hammerslebjenses* exhibentes bullam
Honorij Secundi Pontificis, Ammenslebium referant inter coe-
nobia ordinis Divi Augustini, sive canonicorum regularium,)
conditum anno 1120. à Theodoro comite Gribensi, ejusque
conjugè Amelradâ. Piis hisce fundatoribus demortuis, li-
beri & hæredes *Hermannus*, *Otto*, *Theodoricus* Canonicus Mag-
depurgensis, *Milo* & *Bia* locum à parentibus Deo dicatum suo
etiam dignati Patrocinio, multis modis ornarunt, amplifica-
runt. Ottoni tribuitur conjux *Berta*: Miloni *Luiburgis*. Quo
in Bohemia, ubi Lothario Aug. militabat, cæso, *Hermannus*
& *Otto* fratres, quæcunque eos religio inceserit, à Nortberto
archiepiscopo Magdepurgensi Præmonstratensium mona-
chorum patriarchâ, mutationem loci in melius, ut spera-
bant, impetrârunt, sic ut Canonicis Monachi succederent Be-
nedicti-

medicini. Vtebantur in expeditione hujus negotii consilio & opera Arnoldi Abbatis Bergensis Nortberto familiaris & necessarii, qui & ordinis & collegii sui honori & emolumento intentus, nonnullos è fratribus suis Ammenslebiū ablegavit, triennio post eadem Milonis. Administrationem monasterii nondum bene constituti Arnoldus sibi retinuit. Eodem anno, quo Benedictini Ammenslebiū occuparunt, Nortbertus in ædem Divæ virginis Magdepurgi, amotis Canonis tenuiter sealentibus, ordinis Præmonstratensis monachos introducere moliebatur. Vi tamen rem agere in consultum ratus, ut cederent, bonis persuasit verbis. Transtulit horum nonnullos in alia collegia, quibusdam certos unde honestè viverent redditus assignavit. Sic ædes San-Mariana cum suis fundis & proventibus cessit familiæ Præmonstratensi. Negotium tractatum & confectum est in monte Joannis Baptistæ, adjuvante rem Arnoldo Abbate.

Lotharius Cæsar, quod auspiciato fasces Imperii adeptus esset, contra æmulos & adversarios feliciter pugnasset, pacemque optatam post diuturnos bellorum plusquam civilium tumultus ac tempestates postliminio restituisset, atque inde meritissimo *patriæ* elogio honestaretur, cum de cultu divino augmentando maximè esset sollicitus, simulque gloriosum sui nominis monumentum in patria & apud suos relinquere vellet, in opidulo *Lutter* ad fluvium *Opavum*, monasterium Sanctimonialiū olim à Bernhardo Comite Haldenslebio conditum, verum laxata disciplina moribusque corruptis, monialibus, quotquot inveniebatur, Trubecū ad sylvam Hercyniam traductis, in collegium ordinis divi Benedicti convertit, ac *Regalem Lutteram* indigitavit. Novum etiam multoque priori augustius & splendidius sanum ædificavit, cujus fundamenta cum jacerentur, primos ille, more antiquis Principibus familiari, cum conjugè Richensâ posuit lapides. Primus
ejus

ejus loci Cœnobiarcha fuit Eberhardus, ex Phrontisterio Bergensi cum sex monachis eò missus, qui novam auspiciati scholam ita eam illustrarunt, auxerunt, ut non multò post octoginta Monachi, qui professi dicuntur, uno eodemque tempore ibi viverent piisque exercitiis vacarent. Vidi litteras Henrici Leonis Bajoariæ & Saxoniarum ducis, priores Lutterz, anno 1130, alteras quæ Quedlingeburgi 1147, datas, in quibus testis adducitur Eberhardus Lutteranus.

Administratio collegii Ammenslebiensis mansit, ut diximus, penes Arnoldum Bergensem, quo vel sponte suâ, vel à fratribus exorato, onus illud ab humeris amoliente, missus est, Bergâ Ammenslebium anno 1140. Bartoldus vir maturæ ætatis, expertæ industriæ & mediocris eruditionis: præfuit monasterio annis bene multis, moriens sui desiderium superstibus relinquens. Quinquennio antequam eo mitteretur fanum Ammenslebiense innovarunt & ad usum Benedictini ordinis accommodatum solemniter usitatoque ritu in auguratum est, rem peragente Conrado Archiepiscopo Magdepurgio, qui Norberto recens successerat. Inter fuerunt actui Theodoricus canonicus Magdepurgius & Otto Comes Gribensis fratres eorumque soror Bia sanctimonialis.

Obiit Arnoldus Bergensis peractâ feliciter ætate maturâque senectute, cum undequadragesimo annos scholæ decenter præfisset, sui que famam nominis apud multos relinqueret sempiternam. Monchenaumpurgii per obitum ipsius rectoris destituti iterum ex collegio elegerunt Abbatem Eberhardum, quo tamen ultra quinquennium non sunt gavisi.

xvi. SIGFRIDVS II. ad dignitatem pervenit non legitimâ electione, sed per Wigmannum archiantistitem collegio obtrusus. Erat tamen, qui omnium calculis isto & fortassis majore honore dignus censeretur. Cum Monchenaumpurgii denuo præfule & moderatore Eberhardo anno 1171. orbati

orbati essent, administratio iterum demandata est Sigfrido Ber-
genfi, quas dignitates cum novem annos sustinisset, Hirsfel-
dium ad gubernationem Cœnobii accitit, cui vocationi assen-
sit quidem, sed Munchenaumburgum Prælaturam minimè di-
misit, jussus tamen ut id faceret anno 1195. succedente ei Hei-
denrico.

XVII. HENRICVS ejus nominis primus, è conventu
Montis Joannis Baptistæ eligitur anno 1180, qui propter in-
cendium Magdepurgi in Sacrosanctis Pentecostes feriis exor-
tum, quo magna urbis pars, & in ea tum fana, tum ædificia pu-
blica & præclara in cineres redacta sunt, luctuosissimus fuit.
Grassabantur eodem tempore invicinis regionibus bella civi-
lia, quæ passim incendiis, depopulationibus & rapinis mise-
ros colonos dolenter adficiebant. Cum decennium in mu-
nere fuisset, Henricus finem vivendi fecit anno 1190. 14. Kal.
Aprilis.

XIIX. REINBODO, sive ut annales MSC. habent,
Heidebodo, cœpit eodem anno & mense. Impensè delectatus fuit
structuris & ex ædificationibus, collapsa & ruinosa ædificia in-
staurans, nova erigens: Sacellum Divæ Mariæ Magdalenæ in-
augurari curavit: aliud in peristyllo erexit Divæ Mariæ virgi-
ni sacrum. Conradus Episcopus Halberstadensis, & hujus &
& Roberti Abbatis Hujesburgensis meminit ad annum 1202.
Excessit è vita 1028. Kal. Februarij.

XIX. HENRICVS II confirmatur consecraturque à
Ludolpho archiepiscopo Magdepurgio, qui per obscuro loco
natus, per eruditionem & virtutem ad hoc dignitatis & hono-
ris fastigium ascendit: Henricus Abbas laudatur à beneficen-
tia & liberalitate erga tenuioris fortunæ homines, quos se cum
cotidie habebat magno numero. Pridie Joannis Baptistæ,
quamdiu vixit, & post obitum suum erogari voluit eleemo-
synas largissimas, sic ut inter quadraginta scholasticos, & viginti
laicos,

D

laicos,

laicos, quos vocant, certa pecuniæ summa distribuere.

Vagabantur tum temporis per Germaniam emissarii quidam Romani Pontificis, qui secundum decretum, nuper in Synodo Lateranensi factum, homines cujuscunque ordinis, propositis æternæ vitæ præmiis, ad bellum sacrum contra Saracenos invitabant. Eam militiam professi cruce tanquam tessera signabantur, quorum inæstimanda erat colluvies. Bergensis Abbas, etsi nec valetudine satis firmâ, neque ob senectutem longinquo permolestoque itineri aptus, expeditioni tamen interesse voluit, in Palæstinam profectus. Quâ perlustratâ de Româ invisendâ cogitavit: in reditu montem accessit Cassinum, ut Divi Benedicti monachorum Occidentaliû Patriarchæ & coryphæi mausoleum, ipsumque monasterium reliquorum per universam Europam matrem coram intueretur. Hoc in loco acutissima febre correptus corpore senio prius delibato fractoque, occubuit, 4. Kal. Aprilis anno 1219.

xx. FRIDERICVS ultra triennium non præfuit, toto gubernationis tempore valetudine usus infirmâ & agrâ. Vivebat cum ipso fraterculus quidam Henricus nomine, qui Patronum suum Divum Pancratium martyrem, cujus mandibulam habere superstitiosè credebat, debitè veneraturus reliquias ipsas capsulæ ex auro argentoque in formam capitis humani fabrefactæ inclusit, publiceque in primario altari spectandam obtulit. Meminit Spangenbergius Chron. Qverfurt. lib. 2. cap. 53. Friderici Abbatis Bergensis, qui simul fuerit in primaria æde sive basilica Custos & defuncto Conrado Qverfurtano ad apicem archiepiscopatus Magdepurgici eventus sit. Quæ narratio vix fidem meretur, neque enim præter hunc de quo nunc agimus quisquam Fridericus Bergæ Abbatem egit neque qui monachatum profiteretur, inter canonicos locum habere potest.

Obiit

Obiit Fridericus abbas 8. Idus Martii, anno 1221.

XXI. BERTRAMVS, hujus tempore magnæ istoque & ordine & professione indignæ dissensiones in cœnobio Bergensi exardescabant. Cum enim senioribus monachis subinde adjungerentur Juniores, pars ex scholis nuper elapsi, agrestes pleriq; & in humani illiteratique, cœperunt insolescere & efferre sese, istosque contumeliis exagitare, preces & exercitia monastica interdum noctuque garritu, cachinnis & strepitu inter turbare. Quam petulantiam & si comprimere ac insolentiæ proterviæque frenum iniicere Abbas Bertramus conatus est, ea tamen perversorum hominum contumacia erat, ut bene moentem risu exciperent, ludibrioque haberent. Quod igitur superabat unicum & fidenter egit. Itum est ad Albertum Archiepiscopum, supremum monasterii inspectorem & custodem, explicatum negotium turbulentum, imploratum tempestivum auxilium. Adjunxit ille sibi Wilhelmum Episcopum Havelburgensem, nec non ex collegio primario quosdam Bergamque ingressus luxuriantes istos refractariosque fraterculos comparere jussit. Rebellionis & seclerum convictis impositæ sunt pro arbitrio poenæ, detrusi quidam in carceres, in alia nonnulli monasteria deportati. Facta sunt hæc anno 1229. Nimia & intempestiva indulgentia juventutis animos corrumpit, ut à quibus comiter habentur, eos despiciere incipiant: quamobrem prudentiâ hic opus & circumspetione, præsertim in rebus lautis. Monuit præclare Salomon proverb. cap. 29. v. 21. Delicatè nutritus à pueritia servus ad extremum superbit quasi sit liber. Studuit Bertramus amplificationi reddituum annuorum censuumque tam frugum quam pecuniæ ad quod ipsi succurrit piorum quorundam religiosa liberalitas. Nominatur in annalibus Hugo quidam civis Magdeburgius, qui cum ex conjugè Otiliâ sobolem nullam suscipere,

ret, Christo ejusque præcurfiori heredium suum testamento
transcripsit: pecunia legata omnis in pios usus depensa est.
Emit præterea Bertramus à Joanne & Ottone Marchionibus
Brandenburgicis villam Bellingstorpianam, neque multò post à
collegio Mersepurgio comparavit prædium Tunderslebiun,
quæ venditio facta est anno 1233, Friderico ibi Episcopum
agente.

Decennio post Bertramus hominem exiit Idib. Januarij.
xxii. ACHILLES, cæpit anno 1243. rexit collegium an-
nis septem, in auguratur ab Alberto Archiepiscopo è comiti-
bus Hallermundiis nato, qui paullo post obiit: hoc uno com-
mendatus, quod ecclesiæ suæ acquisierit emtionis titulo bona
Sonnebergica. Obit anno 1248. Idibus Sextilis.

xxiii. RVDOLFFVS, præfuit annis 15. Ineunte anno
1252: contendit Brunsvigam ad Wilhelmum Hollandiæ comi-
tem electum Romanorum Regem, imploraturus summi ma-
gistratus auxilium, contra quorundam centaurorum injurias,
qui timore Dei respectuque æquitatis posthabito, contemptis
etiam fulminibus ecclesiasticis, prædia & colonos monasterij
in vadebant, despoliabant, diripiebant. Cæsar in protectionem
receptum novisque privilegiis contra prædones munitum Ab-
batem domum remisit. Studuit Rodolphus pro virili bona
monasterij augere, comparato agro Wolmerslebiensi quem
collegio condonavit, ut die suo emortuali post sacrum quot-
annis celebratum, monachi solito lautius tractarentur. Vo-
luit præterea in sacello Beatæ virginis Mariæ singulis diebus
sine intermissione sacrum celebrari, ut animæ suæ isto cultu
subveniretur. Obit 1263. 12. Kal. Junij. Hoc tempore stu-
dia doctrinarum à prima institutione in monasticis scholis Be-
nedictinorum præclare exulta, inde emigrare quodammodo
& in mendicantium fraterculorum ergastula se paullatim reci-
pere animadvertentur. Res deploranda detestandaque,
homi-

homines Nazaræos, pietati ocioque litterario obstrictos, de-
ditos, eamque ob causam magnatum aliorumque fortunato-
rum hominum munificentia locupletatos, ita à seipsis descis-
cere & degenerare, ita in ignaviam, socordiam, luxumque pro-
labi, ut veteris sanctimonie sedulitatis & industriæ supersit ni-
hil: atque ubi nuper apicularum alveoli fuerint, ibi nunc in-
ertium fucorum latibula conspiciantur.

xxiv. GEBHARD VS cœpit anno 1262. mense Junio,
Ruperto Mansfeldio Magdeburgi Antistitem agente, de quo
ut pauca in litteras relata sunt, ita de Gebhardo annales nihil
commemorant, excepto eo quod diem suum anniversarium
feriatum esse voluit, depensis ad istam solennitatem annuis
duorum mansuum in pago Plumerding. redditibus. Obiit 1278.
Idibus Februarij.

xxv. JOANNES I. concordibus à collegio suffragiis
electus invitissime onus illud sibi imponi passus est. Norat o-
mnibus exploratus corruptissimum monasterii statum, sive
debita immodicè conflata cumulataque, sive disciplinam so-
lutam spectaret: neque suarum credebatur virium vel illam instau-
rare, vel hoc se liberare. Erat in secretioribus monasterij
thesauris tabula ex solido auro fabre facta, ea conflata est & di-
vendita, solutæ inde creditoribus marcæ ducentæ, sed quid illæ
ad tantam æris alienæ molem, quæ per se immensa indies u-
suris augebatur? Obiit Joannes anno 1282. 18. Kal. Maij.

xxvi. HEIDENRICVS. Infelix fuit hujus gubernatio:
infirmâ enim assidue utebatur valetudine, quod atrii & feculen-
ti humores sive vapores in mentis sedem irrepentes animi
compotem esse prohiberent. Fatebatur ingenuè familiari-
bus, morbum istum pernicipalem divinitus sibi immisum,
quod consultò peccatis indulgens divinis commonefactioni-
bus posthabitis, de vitæ emendatione parum nihilve cogitas-
set. Hanc occasionem qui cum eo assidue erant avidè accipi-

entes pravis artibus Simonis que aucupis à mente capto bona monasterij facile impetrabant suisque applicabant usibus: quæ res *καυολισθία* acceleratura videbatur. Obiit Heidenricus anno 1287.

xxvii. HEIDOLFVS, præfuit monasterio sexennium. Secundo gubernationis anno accessit ad comitia Erfordensia, quibus Archiepiscopi tres, episcopi duodecim, Abbates & Comites interfuere plurimi. Interim domi Heidolfum urgebat æs alienum adeo, ut necesse habuerit vendere argumentum majus, sive campanam Judæis contraditam. Hi fuere fructus officij neglecti, pietatis posthabitæ, luxus petulantiaque admissæ. Rei erant subditi: sed maxima culpa in ipsis residebat Præsulibus, qui neque amplius docebant rectè neque integrè incorrupteque vivebant. Quid igitur mirum si benedictione divinâ per peccata eliminata, omnis generis mala & incommoda sese ingerant. *Vsu enim compertum est, ut ubi cultus supernæ majestatis in pretio est, omnia succedant abundanter: sed illa abundantia, nisi prospexeris, crescit in luxum: ille antiquat religionem: prostrata religio facit paupertatem,* verba sunt Crancii Metropol. lib. 9. cap. 8.

Statutum hujus Abbatis memoratur, subdiaconos non habere potestatem in conventu seu capitulo dicendæ sententiæ: neque integrum ipsis esse egredi monasterio, quæcunque cogat necessitas. Obiit anno 1293. 6. Idus Augusti.

xxix. BODO I. In annalibus nomen habet, de rebus gestis altum silentium. Æs tantum inculcatur alienum marcarum scilicet quingentatum, quæ nostræ monete faciunt Rhenenses ter mille, quingentos & quod excurrit. Graves erant monasterio exhausto deploratoque usuræ, quæ tam Christianis quam Judæis pendebantur: neque aliunde apparebant suppetiæ. Quapropter molestias illas & difficultates honori ærumnoso copulatas pertæsus Bodo manere suo se ab-

se abdicavit. Quamdiu præfuerit, quoque anno loco cesserit, annales non definiunt, mortuus scribitur 6. Idus Martij, xxix. ARNOLDVS II. Invenit monasterium intolerabili æris alieni mole oppressum: cui constando videbatur occasionem præbuisse antecessorum in bonis monasterij tum oppignorandis, tum prorsus divendendis, inconsiderata facilitas. Huic rei ut præverteret, de consensu totius collegii sancivit, ut qui in posterum eligerentur Abbates, sub id tempus quo conventum sibi obligarent, Iuramento solemniter interposito conceptis verbis promitterent, quod nec per alios, nec ipsimet monasterium ultra 70. marcas oneraturi essent. Quod si fecerint, necesse habeant fateri, quod perjurii poenam incurrerint, possintque à collegio tanquam infames exauctorari. Hoc modo immoderatae profusioni prælatorum, simulque harpyarum inexplebili rapacitati obistere voluit. Laboravit multum, ut onus æris alieni mitigaret, in quo à fortuna non est desertus, etsi id Æterna gravius experiretur. Omnia tentanti succurrit unicum, quod profuturum arbitrabatur, consilium: sed opinione suâ longè falsus est. Cum enim hætenus communi usi fuissent monachi convictorio, ipse singulis suos, unde viverent, assignavit redditus, sibi suisque successoribus optimiore proventuum parte reservatâ: quod restabat exsolvendis debitis destinabatur. Hoc modo prohibere satagebat, ne quid singuli privatim, communiter omnes à monasterio alienarent. Verùm res non male cogitata pessimè cecidit. Vita enim communis hætenus monachis usitata quæque religioni plurimum conducebat, antiquata est: coeperuntque qui paupertatem nuper professi erant propria possidere propalam & absq; rubore in foro & compitis oberrare, licitari, emere, vendere; domi peculio se oblectare, paullatimque avaritiæ, quæ Erasmo in adagiis testificante pietatis *παινολεθρία*, totos se mancipare, non sine gravi intuentium

cium.

tium scandalo, propriæ verò ipsorum salutis certissimo periculo. Duravit hæc *ἀραξία*, Benedictinæ regulæ prorsus contraria, ad reformationem usque Bursfeldensem, de quâ suo loco. Quindecim annis præfuit Arnoldus, profuit multum, præstiturus plura, nisi omnia deperdita invenisset & deplorata. Vivendi finem fecit 8. Kal. Octobr. anno 1313.

xxx. BODO ejus nominis secundus originem habuit è Baronibus Wanslebianis. Recensetur hæc familia inter illustres Saxonie Dynastias à Theodorico Langio, Canonico Embe-
censi & Goslariensi Poëmatio de laudibus Saxonie MSC. Ver-
sus, etsi rudes & inconcinnos, addam tamen.

Barones, Comites tenet & Saxonia dices:

Nobilitas illos ornat magnosque pusillos.

Everstein, Dassel, Hardenberg, addito Plesse.

Woldenborg, Heimborg, Wernigrod, post q, sit Homborg

Sladem, Barbuje, post Hademersleve, Hoige,

Wantsleve, Scharzfelde, Blanckenborg, Querenevorde,

Mansvelt, Valckenstein, Werberge sive Regenstein,

Lindaw, Schowenburg, Dannenberg, Schermbeke, Wunstorp:

Hi principantur multis castris dominantur,

Montibus & sita servant sua castra polita.

Vixit auctor annos anteduceos circiter. Antiquissimum ex Wanslebianis inveni Henricum, qui testis adducitur à Theodorico Antistite Halberstadiano literis Anno 1192. datis, ubi Nobilis indigitatur, quod nequaquam de equestri ordine sed Baronatu accipiendum. Etenim istis temporibus in nobilitate ultimi erant Barones, teste Crancio Metrop. lib. 3. cap. 11. Bodonis Abbatis parens fuit Ericus, quem testem laudat Burchardus archiepiscopus Magdeburgensis anno 1309. Frater Ludovicus archidiaconus & Canonicus summi templi apud Halberstadenses memoratur ab Alberto Antistite ad annum 1334. Beneficia sive feuda, familiae hujus hereditaria, partim
ab ar-

ab archiepiscopatu Magdepurgico, partim ab Abbatissa Gandersheimensi dependentia, ad familiam Alvenslebianam devoluta sunt. Hundesburgum Bussio Wanslebius vendidit Ludolfo, Bussioni & Gebhardo fratribus Alvenslebiis. Consensit venditioni Fridericus archiepiscopus Magdeburgius, emptoribus in fidem & clientelam receptis. Facta sunt hæc anno 1453. Superfuit adhuc Bussio anno 1476. Feuda Gandesiana eidem familiæ obvenerunt, postquam extincto Wernero Wanslebio ea conferret Alvenslebiis Sophia Antistes Gandershemiana, quod contigit anno 1477. In his duobus familia olim perillustri opibusque valens, cum ad paucos redacta esset, tandem defecisse existimatur, Wanslebium arcem, à quâ familiæ avitum nomen, integram suæ diœcesi adjunxit Petrus archiepiscopus Magdepurgius anno 1472. cum antecessor Theodoricus quartam eius partem nuper emisset. Sed ad Bodonem Abbatem redeundum. Ei fortuna amiciosem magisque benevolam se exhibuit, quam ab annis aliquot ulli antecessorum fecisse visa est. Multi enim ex vicinis religiosi & fortunati animarum suarum saluti, ut persvadebantur, consultum ituri, partim agros partim pecunias monasterio sunt largiti. Ex quorum redditibus promovendi divini cultus ergò erecta sunt altaria Divorum Andreæ, Benedicti & Catharinæ, ad quæ singulis septimanis sacra pro defunctorum requie peragebantur. Idem Bodo à veteris Marchiæ monasterio Jerichonio emit decimam frugum in agro Wanslebiensi, expositis 375. marcis argenti Stendaliensis, anno 1317. Toto isto tempore, quo Monasterium gubernavit Bodo, perturbatus fuit & confusus reipublicæ in Episcopatu Magdepurgico status, archiantistite Burchardo, origine Dynasta Schrapelovio, immaniter omnia vertente & immutante. Gerebat ille initidò inimicitias cum civibus Magdeburgicis variis eos affligens modis: non multò post in discordiam venit cum omnibus diœcesis ordinibus:

E

unde

unde foedera & conspirationes contra eum factae: ipse cum vicinis principibus pactiones societatesque faciens contra se munivit: secutae hostiles impressiones, rapinae & caedes. Tentatae tamen sunt aliquoties per pacis publicae tranquillitatisque amantes reconciliationes, ut qui praeter meritum acerbè nimis affligerentur, in gratiam revenirent: sed nullus apud hominem pertinacem & difficilem aequitatis moderatio- nisque respectus. Invenit tandem Deo permittente, dignam inhumanitate ista mercedem, per privatam improborum vindictam miseram luctuosaque morte extinctus. Circumfer- tur ejus epitaphium, breve, sed argutum, multum ipsi tribu- ens, quod subjicio.

Hic jacet omnis homo, quicquid virtutis in illo

Particulare fuit, hoc simul omnis erat,

Sed nec impunè abjerunt conscelerati Parricidae, qui crudeli exemplo, impias manus in violabili magistratus divinitus or- dinati sanguine contaminare non sunt veriti, aeternam in an- nalibus notati infamia. Impeditis illis & perquam molestis temporibus summam usus est Bodo antistes prudentiam modis- que cavet omnibus, neferocientis Episcopi animum ulla re offenderet: vicinis etiam, quantum poterat hortator erat, remissiores essent in injuria, si quam accepisse putarent, ulcis- cendam, cogitarent ab illo profectas, qui supremi numinis san- ctione, non fortuito, clavum imperii teneret: cui temerè contradicere nefas, rebellare scelus sit inexpiabile. Obiit anno 1328. 5. Non. Maij.

XXXI. ANNO. De hoc nihil, quod operae pretium an- notatum est. Festa quaedam instituit, quorum tamen plus satis improvida superiorum temporum superstitione excogita- rat: addidit proventus annuos: diem etiam suum emortua- lem solemnem esse sacroque perpetuo & dapili cohonestare
ordina

ordinavit. Desit inter homines esse anno 1333. 5. Idus No-
vembr.

xxxii. ZLAUCO, administravit monasterium per an-
nos 12. Nomen peregrinum, arguit vel Bœmum vel Polo-
num fuisse: confirmant mores hominis incompositi & per-
versi: cui cum collegio perpetuæ altercationes & controver-
sæ monachis intolerabilem fastum, cumque eo conjunctam
prodigalitem averfantibus. Vixere ejus tempore in Phron-
tisterio Bergensi monachi duo, equestribus nati familiis, E-
berhardus à Wulven & Andreas ab Insleve, qui cum here-
ditatis aliquid haberent, sacris id impenderunt usibus. Ille
Divæ Barbaræ, hîc Divæ Margaritæ, diem festum in cœno-
bio celebrari ordinavit, cum ad modum, quo dies S. Catha-
rinæ martyris ibidem quotannis perageretur. Uterque cer-
tos ad festivitatem istam census legavit. Obiit Zlauco an-
no 1345.

xxxiii. THEODORICVS, cognomento Leo, cœ-
pit eodem anno, præfuit diu, natus omnino ædis suæ bono.
Fanum à Sigfrido, septimo cœnobij Abbate incoatum, sed
à successoribus neglectum, ipse post trecentos & triginta an-
nos aggressus integrè consummavit. Habebat cognomen-
tum naturæ & moribus conveniens: quippe in quo animi
magnitudo & celsitas roburque emereret. Pilas testudines,
fenestras, ambonem, peristylum, pavementum, omniaque
facella, templo ad hærentia, partim de novo extruxit, par-
tim ita interpolavit, ut administrationi essent spectantibus:
qui quidem demirabantur, hominem ecclesiasticum, opibus
minimè validum, rem tam operosam, tantæque molis animo
concepere ausum, suaque dēmum industria perficere potuisse.
Commodum autem evenit, ut eo ipso tempore, quo structu-
ra fani Bergensis absoluta erat, Theodoricus Archiepiscopus
Magdeburgius, obscuro quidem loco natus, sed cordatus &

acris animique magni homo Basilicam sive templum cathedralis quod antecessores sumptuum magnitudine deterriti, tentare ausi non fuerant, inauguraturus esset, huiusque rei gratiâ vicinos, Antistites, Prælatos, Principes, Comites & Barones magno secum haberet numero. Consecratâ receptis ceremoniis æde Dominicâ, postridiè templum Bergense Sancti Joannis, præsentibus iisdem principibus, pari solemnitate inauguratum est. Acta sunt hæc anno 1363. exeunte Octobri. Experientia docet nomina sæpe numero esse fatalia: cuius rei exemplum etiam fuerit in hoc Episcopo & Abbate, coævus: quibus ut idem fuit nomen & id quidem auspiciatum (sonat enim Theodoricus Germanorum lingua Dei divitem, sive Deo plenum) sic æque præclare de sparta suâ ornandâ uterque cogitavit. Quadriennio post consecrationem Theodoricus Abbas ab Annone archimandritâ Lutterano emit 21. mansos in pago Santerlebe. Vidi litteras venditionis, in quibus ostendit Anno ad distractionem agrorum necessitate se compulsus: sic enim scribit: *Notum esse volumus, tam præsentibus quàm futuris, quod nos discretorum ac providorum maturo consilio persuadente, ac inter nos deliberatione ac moderatione diligenti præhabita & præmissâ propter diversa & penè incredibilia damna & pericula nostra ecclesie incumbentia, de communi consensu ac unanimi totius capituli voluntate vendidimus ere.* Atque hanc pecuniam non ex ætario cœnobij habuit Theodoricus, sed patrimonialis erat, tota in pios usus eroganda. Superstitiosum fuisse innuunt Annales, nova enim festa prioribus addidit, perinde ac si in eo Christiana religio consisteret. Diem conceptionis Joannis Baptistæ non minori solennitate celebrari voluit, quam reliquorum patronorum festivitates. Instituit etiam, ut singulis diebus Sabbati caneretur idololatricus hymnus *Salve Regina*, utque ante ædiculam, in quâ eucharistia aservatur, vulgò ciborium vocant, quotidie lampas arderet.

Adhæc:

Ad hæc omnia annuos proventus constituit. Lãudabilius his est, quod ipsi adscribitur, nimirum operam dedisse, ut controversiæ & litigiã, quæ multo tempore inter Abbatem & collegium fuerant, placide & amicè componerentur. Decessit annorum satur, cum præfuisset annis 27. defunctus 14. Kal. Martij, anno 1372.

xxxiv. JOANNES II de Ensleve, sive ut alij, de Rusleve. Privatus construi fecit & redditibus donavit altare D. Mariæ Magdalenæ, ante quod post mortem humari voluit. Rerum potitus nihil remisit de ardore & solitudine resarciendi incommoda ecclesiæ suæ, totus integer sincerus & apertus. De voluntate collegii decretum fecit, rigidum quidem, sed quod necessitas extorsisset. Statuit, ut si quis inter fratres sacrilegij convinceretur, perpetuò esset infamis: abstineret in posterum à publicis deliberationibus: neque dicendæ sententiæ jus haberet: locum in templo occuparet retineretque infimum, quamdiu ibi commoraretur: neque hanc ignominiam mitigaret aut tolleret, vel generis amplitudo vel intercessio sive deprecatio. Hac severitate obviam ire voluit quorundam improborum rapacitati, qui nullis admonitionibus, nullis minis adduci potuerunt, ut à clandestinis sacrilegijs se abstinerent: mortem obiit anno 1380. 4. Idus Decembris.

xxxv. HENNINGVS, præfuit triennium. Vidit tragicum exitum Ludovici archiepiscopi Magdepurgici, per illustri familia nati, qui cum muneris sui oblitus præter morem ac decorum leviculus choros celebraret, excitato inopinatè repentino incendio, cum convivæ perturbati ad gradus properarent, in caput cadens ita allisus est, ut tertijs Bacchanalibus, cum id pridie factum esset, exspiraret. Moritur 1383. 12. Kal. Junij.

xxxvi. ALBERTVS, ex generosâ & per antiqua Dynastarum Qverfurdianorum familia natus, operâ fratris Germa-

ni ejusdem nominis, archiepiscopi Magdepurgij adhunc dignitatis gradum pervenit, sed ignavè, segniter & inutiliter administravit. Nec enim suo se norat modulo ac pede metiri, neque quid discriminis esset inter archiepiscopum & monachum intelligebat. Vix ab onere debitorum respirarat aliquantulum monasterium, quæ ille nova contraxit; cætera bona oppignorabat, alienabat, dilapidabat, adeo, ut nec unde viveretur, aut creditoribus usuræ solverentur, prodigo super esset. Interrogatus aliquando à fratre laudabiter magistratum administrante, quid absumptis omnibus bonis manducaturus esset, parum civiliter respondisse fertur, deficientibus esculentis monachos se devoraturum. Tulit gurgitem hunc & helluonem infelix monasterium totis novem annis, quibus immane quantum bonorum profuderit, dissipavit. Genealogia comitum sive Dynastarum Qverfurdensium in Chronico pervetustæ hujus familiæ soletter deducta, nullam Alberti hujus facit mentionem, quod equidem miror: de diligentia auctoris nullum est dubium; neque de industria præteritum credibile est: mihi annalium fidem & famam publicam sequi collibitum fuit. Obdormuit hic gulo
4. Non. Sextilis anno 1392.

xxxvii. ARNOLDVS III. in civitate Magdepurgensi natus est familiâ antiquâ & honestâ, cui nomen Harekstro. Ejus tempore Romæ Pontificem agebat Bonifacius 9. qui qualis fuerit, ipsi Pontificij Scriptores non dissimulant. Is ut in explebilem saturaret avaritiam, Iubileum sive aureum annum, ut passim alibi, ita Magdepurgi promulgavit, quem qui visirarent, plenam haberent omnium peccatorum condonationem, non minus vel secus, ac qui Romam ejus rei gratiâ peregrinarentur. Ad quinquaginta miliaria quoquo versus hoc institutum publicabatur. Quatuor fana quæ Magdepurgi intervifere oportebat, erant, Dominicum, sive
Basilica

Basilica S. S. Petri & Pauli, S. Joannis Bergense, & Augustinianum. Pecunia credulæ plebi per imposturas extorta cessit partim pontifici, partim templis, quæ dixi, Magdeburgiis. Acta sunt hæc anno 1395. Vivebat id temporis in monasterio Eberhardus quidam, officio Prior, quem vocant, is ut cultum divinum amplificaret, in honorem Divæ Margaritæ Virginis curavit extrui aram, eique de patrimonio, quod habebat luculentum, dotem assignabat: reditus præterea nonnullos reliquit monasterio: obiit anno 1404. Quem Arnoldus Abbas post quadriennium secutus est, defunctus Idibus Decembris Luciæ virgini sacris.

xxxix. HENRICVS III. cognomento Schozzo, patriam ibidem habuit Magdepurgum: triennio ab electione exacto justus est munere se abdicare. Hæc ex catalogo Abbatum typis impresso, & altero MS. refero. Chronicon monasterij Hujespurgensis meminit cujusdam ejus loci Antistitis Bergam hoc tempore translati: sed verba auctoris addo: *Vicesimus septimus (Abbas) Henricus Schwegerken annis 13. præfuit, debita contraxit, communiter excommunicatus resignat post novem annos. Inde factus Abbas in Magdeborg, reliquit etiam istam abbatiam & in Prioratu Ammenslebiensi finivit vitam.* Hæc ibi. Nescio autem, an unus hic & idem sit Henricus, qui duobus in locis præfuit: Circumstantiæ in quibusdam consentiunt: de cognomine & obitu discordant. Bergenses affirmant suum Antistitem post exauctorationem vixisse annos septendecim, vitam cum morte commutasse anno 1425. sepultum ante aram Divi Thomæ. Hujesburgensis exabbas scribitur vitam clausisse Ammerslebij. Sed hæc disquisitio forte non tanti.

xxxix. FRANCISCVS Beil, Stendaliæ veteris Marchiæ urbe non ignobili oriundus, ultra quadriennium non fuit cum regimine. Erat tum temporis status monasterij corruptissimus. Etenim quibus religiosè se obstrinxerant, degene-

degeneres monachi palàm & sine verecundia negligebantur. Erant illa paupertas, continentia & obedientia, monachus, ut loquuntur vulgò, substantialia. Quæ verò ibi paupertas ubi suos redditus quilibet, suum possidebat peculium? Pro continentia viscebatur luxus continuus, & ex eo libidinum incendia. Parerent verò, qui singuli imperare gestiebant? maximè, qui præ reliquis effrenes & malitiosi, quorum ferociæ modestiores cedere cogebantur. Obiit Franciscus 9. Kal. Septembr. anno 1415.

XL. HENRICVS IV. de Bukenow, procurantibus in aulâ Halensi consanguineis, ab archiepiscopo Magdeburgio Gunthero evocatur ex Regali Luttera. In eo abbatem tunc temporis agebat Bartoldus Kegelius, vir summa integritate innocentiaque, Reformationis à Concilio Basileensi Patribus Benedictinis demandatæ, promotor & conservator vigilantissimus. Ab hujus discipulo Henrico Bukenovio sperabatur Bergensis collegii emendatio, sed frustra. Moritur anno 1429. 4. Idus Maij.

XLI. HENRICVS V. de Mosekow ex Bergensi monacho eligitur Abbas, confirmatur ab eodem archiepiscopo Gunthero, ex comitibus Suartcepurgijs oriundo. Non defuit homini pio sedulitas & industria in emendando vitioso prolabantis monasterij statu quantum ad rem familiarem attinebat, verum de disciplina corruptâ protritaque, vel nulla, vel minima cura: quo rei maximè necessariæ neglectu obscuratur tota laus illa, quam aliàs à diligentia promeritus fuisset. Ejus tempore in pago Tunderslebe fanum desolatum erat & collapsum, neque ejus reparandi facultas. Cessit igitur Henricus Antistes & templum & jus Patronatus, cum dote & supellectile ecclesiasticâ monasterio Vallis-Marianæ prope Helmæstadium, tribuens ei facultatem reparandi templi & restituendi in eo cultum divinum: utq; majori cœnobitas ejus loci ornaret beneficio plenam perfe-

perfectamque fraternitatem cum eis communicavit, particeps ipsos faciens omnium bonorum operum, quæ in collegio Bergensi noctu diuque perpetrarentur. Cum mandata sua præfuisset annis 20. obiit 3. Non. Sextilis anno 1449.

XLII. HERMANNVS. Defuncto Henrico v. conventuales Bergenses unanimiter postularunt Bartoldum Mejerum, Juris Pontificij Doctorem, monachum Sanctæ gidianum apud Brunonis Vicum: ut Postulationem ratam haberet archiepiscopus Fridericus nullo modo adduci potuit. Agebat is ab aliquot annis, ut monasterium Bergense ad normam & præscriptum Societatis Bursfeldensis reformaret, strictamque Divi Benedicti regulam, titulo tenus retentam, reverâ eliminatam & antiquatam, monachis vel invitis obruderet. Vfus ergo occasione interregni antistitem Bursfeldensem è cœnobio suo evocatum in consilium adhibuit, eique tandem Bergam ab inveteratis sordibus inquinamentisque repurgandam pristinoque nitore restituendam affectu verè paterno commendavit. Adduxerat secum Bursfeldensis Hermannum Molitorem, Bilfeldiæ in comitatu veteris Saxonix Ravenspurgico natum, virum singulari bonitate & modestia præditum, ei Bergam gubernandam commisit. Pergraviter tulit repulsam Bertoldus Sanctægidianus, Romamque è vestigio profectus in aula Pontificis prece & precio tantum effecit, ut tam archiepiscopus, quam ab eo confirmatus Abbas ad dicendam causam evocarentur. Quibus non comparentibus sententia pronunciatâ condemnati sunt ambo. Accidit autem non multo post, ut Brunsvigæ Abbas eligeretur Bertoldus; quo facto inter dissidentes constituta est concordia, ea ratione, ut Bertoldus acceptis ducentis aureis Rhenensibus, juri per postulationem legitimam acquisito renunciaret, Hermannus Prælaturam sine contradictione retineret. In hac compositione cautè & consilio omnia egit Hermannus, ingenuè fassus in controverso negotio habere

F

se con-

sin

se conscientiam perturbatiorem, metuebat enim, ne qua Simoniz labes intervenisset. Sex monachos Bursfeldensis Bergam secum adduxit, quibus officia primaria demandavit, ipse ab Archiepiscopo confirmatus honoris sui avitum insigni infulam bicornem accepit 4. Idus Sextilis.

Hoc loco operæ pretium puto, ut de Reformatione Bursfeldensi aliquid subnectam, cum annos 150. omnibus in ore fuerit, neque adhuc nomen ejus & dignatio oblitterata sit. Recensentur aliquot ordinis Divi Benedicti propter immodicas opes quotidie affluentes degenerantis luxuriantisque prudenti maturoque consilio institutæ reformationes, puta Carolina à Carolo M. Imperatore introducta, & à filio ejus & successore Ludovico Pio repetita: Cluniacensis oppidò famâ celebris, quippe quæ in societatem suam pertraxisse scribitur circiter mille quingenta monasteria: Cassinensis item, Fuldensis, Hirsfeldensis, Trevirensis, Coloniensis, Hirsaugiensis, Castellensis & Mellicensis. Singularum auspices annalibus memorantur: pleræque citò defecere, nullis constans permansit stabilitas: Bursfeldensis firmitatem habuit, quod solidis niteretur fundamentis, eaque urgeret maxime, quæ ad vitam religiosam pertinent, voluntariam intellige paupertatem, sinceram castitatem & obedientiæ subjectionem. Est autem Bursfeldia antiquum Ducatus Brunovicensis monasterium, ab Henrico comite Northæmio in honorem Thomæ & Nicolai anno 1099. conditum. In eo post aliquot secula Antistitem agebat Joannes, Mindæ ad occidentalem Visurgis ripam honesto loco natus, nuper cœnobii Reinhusensis prope Gottingam monachus, sui que Prælati nomine ad Synodum Constantiensem legatus. Vnde reversus studioque reformandi ordinis sui exardescens, auctoritate Ottonis, cognomento Coclitis, Ducis Brunovicensis, ab Hagne conjuge, principe Hassiacâ, fœminâ religiosissimâ, de homi-
nis

nis pietate edocti, cœnobio Clusensi prope Gandershemium præfectus est anno 1330. Eo in loco coepit toto cogitare animo, quantum ordo Benedictinus à prima institutione degenerarit, quanta licentia, enormitas, dissolutio & profanitas in ejus familiæ collegiis & sodalitatibus inveniatur: quæ tamen reliquo hominum generi exemplis pietatis, modestiæ, castitatis & temperantiæ prælucere debebant: fieri non posse, quin istâ disciplinæ laxitate morumque corruptione, dum ea quæ libeant cuivis liceant, infiniti in æternum præcipitentur exitium. Salutarem ergo molitus emendationem, factò initio à prælectione Regulæ Divi Benedicti, ejus singulas sententias, singulos apices, cum curâ & diligentiam expendit, ponderavit, quidque ab ipsis requireretur, auditoribus exposuit subinde inculcans quod in capite 58. Regulæ dicitur, *quod qui eam servare promiserit, & non servaverit, sciat se à Deo damnari quem irrideat.* Singularis erat in homine morum gravitas, conjuncta cum humanitate & mansuetudine, sermonisque aliquâ elegantiam quibus donis effecit, ut sodales suos in re honestissima in venerit obsequentes, promptos, paratos, ejurata enormi & profana vitâ, legibus & institutis majorum reverenter & modestè se submittere. Atque hoc modo ex Clusa ista Saxonica exclusa est inveterata vitæ monasticæ irregularitas, substitutâ sanctimonia & integritate professioni datæque fidei conformi. Non multo post Joannes Clusensis auctoritate memorati Ottonis Ducis Brunsvicensis, ejusque conjugis Hagnes, translatus est Bursfeldiam: quod quidem monasterium eo tempore ad tantam miseriam & desolationem pervenerat, quòd multis annis monachus tantum in eo degebat, cui præ sustentatione præter unicam vaccam census nullus erat: ecclesia straminibus tecta stabulum fuit adventantium pecorum, quæ olim cantantium chorus fuerat monachorum, ut verba habent Trithemij Chronico Sponheimensi ad annum 1429. Quæ abstertere



quemvis potuissent, loci videlicet solitudo, omniumque rerum extrema inopia, ea Joannem Clusensem invitabant maxime, ut cum pauperulo suo coetu mandram Bursfeldensem ingrederetur, plenus fiducia de benedictione divina honesto instituto nunquam defutura. Penitus etiam sibi persuadebat, fieri posse, ut pium salutaris reformationis, quam animo destinarat, negocium divina ope fultum promotumque, in florentissimas utriusque Saxoniae regiones fama se diffunderet, magnique Principes, Dei Optimi Maximi Vicarij, de corrigendis suarum ditionum monasteriis curam officio dignam susciperent. Ipsos etiam monachos, nisi planè à se ipsis desperati sint & relictì, illustre & expressum antiquioris Sanctimoniae probataeque disciplinae postliminio restitutae exemplum comminus intuentes, relictâ probrosâ & contaminatâ vitâ, ad frugem animum applicaturos. Atque hæc sunt initia, & quasi incubacula Bursfeldensis Reformationis à Joanne ab Hagen, sive de Indagine, qui alter à reformatione Bursfeldiae Abbas fuit, feliciter propagatae. Intuentes enim vicini Principes, tam ecclesiastici quàm Politici, morem vivendi apud Bursfeldiam probatissimum, de suis quoque monasteriis in integrum restituendis, piam curam suscipiebant. Fama deinceps rei honestissimæ ad remotissimas pervenit gentes, ita ut in Societatem Bursfeldensem brevi coaluerint monasteria præter propter septuaginta, à Joanne Trithemio Chronico Spanheimensi enumerata. Saxonica, quæ intra Rhenum sunt & Albim, libet subjungere. Abdinckovium Padebornæ, Ammenslebenense, Ballenstedense, Bergense ad Magdeburgum, Sanblasianum prope Northeimium, Cismariense in Hottatia, Clusense, Gerrodense ad silvam Hercyniam, Gothardnum Hildesiae, Hildenslebenense, Iburgense, Ilsenburgense, Leisbornense, Ludgerianum prope Helmæstadium, Lutteranum Mariae monasterium, Michaelitanum Hildesiae, Munchenaumpurgium, San-

Paul-

Paulinum ad muros urbis Bremæ, Reinhusanum, Ringelher-
 mense, Schinnense, Sansimèonis Mindæ, Tuitiense ad Rhe-
 num, Vilsense, Werdinense, Wimmelspurgense. Horum Ab-
 bates, & qui præterea ex aliis nationibus præsules hanc soci-
 etatem agnoscebant, ad annuas Synodos, vulgus barbarè Capi-
 tula vocat, convenire, ibique de Regula Divi Benedicti in col-
 legiis sarta recta conservandâ, consultare, ac insimul decreta
 & statuta salutaria condere solebant. Extat de origine Unio-
 nis Bursfeldensis carmen Pauli Langii Cygnæi monachi Be-
 nedictini, quod subjungam.

*Closa monasterium fuit humile, sed venerandum
 Saxoniae flos, religionis apex, honor orbi.
 Closa domus celebris, campestris, amana, jocunda,
 Congrus claustriculis, tranquilla, situque salubris
 Sola quieta jacens: hinc recte closa vocatur,
 Clausa malis, reserata bonis, servire Tonanti
 Qui cupiunt & mente polum penetrare supernum
 Unde saluifera nuper fluxere fluentia
 Quæ procul almifluum circum fudere liquorem.
 Anno milleno quadringento atque triceno
 Tempore quo claustrum gestabat sceptrum Ioannes
 De Mindâ natus pastor probitate coruscus,
 Quem tribus elapsis annis Bursfeldia post hæc
 Poscit habere Patrem renovare vetusta volentem
 Qui veniens isthuc vitam introduxit honestam,
 Quam patris angelici sacra norma docet Benedicti.
 Sicque reformatum divino numine claustrum
 Bursfeldi eximium fuit in novitate secundum
 In quo continuo nova tunc plantatio crescens
 Claustrareformando divinum sparsit odorem
 Per studium Abbatum, curamque Patrum sapientium
 Quos domus hæc aluit multos virtute nitentes*



*Quosque inter primos vita & doctrina Ioannes
Clarus excellens Hagen cognomine dictus.*

Joannes Trithemius in opusculis Theologicis, prolixius Chronico Sponheimensi, altius rem repetens, primordia reformationis refert ad Monasterium S. Matthiæ, quod est ad antiquissimam Trevirorum urbem, pervetustum, præpotens & magnificum familiæ Benedictinæ collegium, ejusque Antistitem Magistrum Joannem Rhodium, ex Metensis ecclesiæ Canonico sanctique Simeonis apud Treviros præposito, monachum Carthusiensem: deinde verò Iussu Pontificis Romani & auctoritate Ottonis archiepiscopi Trevirensis, cœnobij Sancti Matthiæ Abbatem, à quo & monachos nonnullos & normam religiosè vivendi impetravit Joannes Mindanus, primò Clusensis, deinde Bursfeldensis Antistes, cujus ut & successoris Joannis ab Hagens felici industria cum plurima reformata essent cœnobia, oblitterato Clusæ matris nomine Bursfeldiam præeminuisse. Caspar Bruschius, Historia monasteriorum, eadem de Rhodio, quem 15. monasterij S. Matthiæ Abbatem facit, commemorat, nimirum, quod per provinciam Rhenensem plurima utriusque sexus collegia reformavit, adeoque regularis observantiæ per Germaniam instaurator extiterit. Nos virum excellenter doctum & ardore religionis cultusque divini flagrantem laude suâ nequaquam fraudare volumus. Vnum addam, initium reformationis Bursfeldensis collocari in annum 1433. Vnio ejusque annua Synodus, confirmata est primum à Nicolao Cusano Cardinali anno 1451. deinde à Pio Secundo P.P. qui & Æneas Silvius, indultis ei insignibus privilegiis & nominatim illis, quibus congregatio S. Justini de Padua gaudet, quæ multa sunt & magna, ut Trithemius Chronico Sponheimensi annotavit. Sed reflectendus sermo ad cœnobium Bergense, hoc tempore desolationi proximum, quippe in quo exercitia pietatis penè

penè conticuerant : bona & possessiones distractæ alienatæque, monachi, jugo obedientiæ excusso, ocio, luxu, peregrinationibus tempus terebant. Aggressus igitur restitutionem in integram novus Abbas, primò fratres ad severitatem vitæ solitariæ revocavit, exercitia pietatis noctu diuque peragenda distinxit, officia pro ut idonei erant, singulis demandavit. Secundum illud demolitus est ædes, in quibus hætenus monachi seorsim habitabant, instaurato communi convictorio, in quo unà cibum caperent, simulque dormirent: addidit etiam nosocomion & bibliothecam. Hujus comparandæ indiesque augendæ studiosissimus fuit, eamque brevi tempore miris modis locupletavit, cum monachi assiduè codices scriberent, non pauci à beneficiis hominibus donarentur. Detestabantur superioris temporis monachorum supinam negligentiam, quotquot locum bibliothecæ intuebantur, sordibus & illuvie squalidum, pluteos effractos, luxatosque, codices, qui rari, partim laceros & pulvere obstitos, partim à tineis blattisque exesos: ubi munditiei vestigium nullum. Ædificia, quæ dixi, primis duobus gubernationis annis perfecit: tertio cellas subterraneas, oporothecam, hypogæa & promptuaria addidit: quibus absolutis, sibi suisque successoribus domicilium exstruxit, conclavia habens distincta, ampla, singula suis usibus destinata. In hoc negotio cum esset, non minùs de ære alieno dissolvendo sollicitus erat, cumque Magdepurgio Senatui deberet, ei satisfacit, postmodum aliis quibus obligatus erat. Hætenus bene regeque omnia, unum est, in quo aberrasse visus fuit. Etenim, quæ monasterium trans Albim ultra Burgum opidum possidebat, puta Ileburgum, Parchovium & alia, commutavit pro Pechaviensibus bonis, quæ istis duplo meliora existimata sunt. Circumventus creditur fraudulentâ calliditate eorum, quibus tanquam necessariis nimium fidebat. Habuisse illos

los majorem privati commodi curam, quam conscientiae & famae nemo inficias iyerit: Veniam facile meretur Abbas, qui, ut ille inquit, *ignarus erat hominumque locorumque.*

Istis temporibus in Germaniâ legati Pontificij munere fungebatur Nicolaus Cusanus, Cardinalis & Brixienſis Episcopus, homo doctissimus, cujus scripta existant per quam multa. In omnibus ille provinciis, quæ adibat, summo adhibebatur studio ut homines ecclesiasticos, cujuscunque ordinis essent, ab enormi dissolutaque vita ad priscam integritatem sanctimoniamque reduceret. Inaudiens verò in Saxonia de Reformatione Bursfeldensi ejusque felicibus incrementis Joannem Haggiū Abbatem Bursfeldiā evocavit, commendatoque ejus pio studio, totius ordinis Divi Benedicti in Saxoniâ reformatorem instituit. Reddidit præterea salutare decretum de annuis synodis cogendis, ne reformatio præclare coepta paullatim deficeret tandemque penitus evanesceret. Legatum istum Magdepurgum iavisurum hospitio excepit Bergensis Abbas Hermannus: ex monasterio in urbem descendenti occurrere turmatim tam clerici quam cives, hi armati, illi stolis candidis amicti Sanctorum reliquias secum deferentes hymnosque solemnes decantantes. Acta sunt hæc anno 1451. feriis Pentecostes.

Diximus de Antistite Hermanno quæ ad laudem ejus pertinent, restat unum maximè memoratu dignum. Ammenslebiū, cujus supra meminimus, exemplo aliorum, ab institutis Divi Benedicti plurimum recesserat, ut vel nulla vel exigua regulæ cura superesset: *conversations monachorum* (verba sunt Trithemij) *omni honestate nuda, omni turpitudine plena essent.* Quem uberem vitiorum proventum, secutus est defectus omnium rerum miserimus. *Sic enim res vadunt: non deficiunt fratribus temporalia, nisi antè defecerint spiritualia,* ut rectè Crancius. Domicilia providâ majorum curâ commodè extructa, abierant in casas & mapalia ventis imbribusque pervia: de
fundis

BERGENSIS.

fundis quod restabat parum erat, melioribus oppignoratis: Supellex ecclesiastica preciosior distracta erat, longè vilior substitutâ, neque de utensilibus ferè quicquam superabat. Friderico Archiepiscopo Magdepurgio, nato ex comitibus Bichlingiis, dolori erat tam dolenda profanatio & ruina, suâque indignum censebat personâ amplius connivere. Quapropter Hermanno Antistiti Bergensi tradidit Ammenslebium visitandum, reformandum, corrigendum. Annus tum erat à nato Christo 1461. Brevibus explicari non potest, quantum laboris exantlatum qui sumtus in hanc instaurationem impensi sint. Satis constat ultra mille & quadringentos florenos Rhenenses intra annos non ita multos redimendis bonis oppignoratis expositos fuisse. Taceo supellectilem tam sacram, quam profanam Bergâ Ammenslebium missam. Atque hæc reformator monasterio ita condonata voluit, ut perpetuò apud monachos remanerent, neque pecuniæ reposcerentur, modò in observatione instituti Bursfeldensis perseverarent, neque improbâ levitate ab eâ resilirent: quod si facerent, integrum debere esse Bergensibus sua repetere, hac conditione adjectâ, si & ipsi in ea societate persistant, alias suo jure exsutos esse debere. Hæc Auctoritate archiepiscopi Joannis, Bojariæ Ducis & Palatini ad Rhenum, qui Friderico Bichlingio successerat, confirmata sunt. Reformatum hoc modo Ammenslebium Antistes Bergensis per vicarium Priorem gubernavit annis octo, quibus elapsis de sententiâ capituli annalis loco isti datur Abbas Tilemannus Schonebecius Tangermundanus, Bergensis cœnobita, cujus paternâ curâ religio cultusque divinus instauratus, amissa recuperata, nova acquisita fuere, Rexit Ammenslebium annis 16. mensibus 4. obiit 1486.

Anno 1464. Synodus annalis prima Patrum unionis Bursfeldensis celebrata est Bursfeldiæ, præsidens primarius

G

fuit

fuit Joannes Hagijs, sive de Indagine, ejus loci Abbas: adjuncti fuere Gotfridus Hujesburgensis & N. Schonanicensis: diffinitores Guntherus Erfordianus & Hermannus Magdepurgensis, omnes præclari archimandritæ, Triennio post idem Bergensis antistes monasterium Bosaugiense reformandum accepit. Est Bosaugia in Thuringis diocesis Mersepurgensis, condita anno Christi 1114 Theodorico præfulem agente, dedicatum 1124. Primi ejus incolæ ex Hirsaugiâ acciti sunt, dato illis Abbate Eberto instituti Cluniacensis Sectatore acerrimo. Nomen ipsum, non ut quidam autumant à malignitate loci promanavit, sed à Bosone primo Antistite Mersepurgio, qui Bergâ ad Episcopatum vocatus eo in loco facellum exstruxit. Hoc ipsum monasterium collapsum & qua religionem penè ad nihilum redactum, Hermannus Bergensis Antistes reformavit deducto illuc cellario suo Thomâ, Francofurti ad Oderam nato, viro & religionis zelo & vitæ integritate laudabili. Is auxilio Prioris Bursfeldianam vivendi rationem introduxit, paucosque intra annos Bosaugiam multis modis meliorem reddidit. Reformatio ista in annum incidit Christi nati 1467. Octennio post idem Thomas Bosaugiâ translatus est Pegaviam Misniæ, ad monasterium ejus loci exemptum liberumque, Divo Jacobo Apostolo sacrum: conditum à Wiperto ejus nominis secundo, Comite Groicensi, marchione Lusatix, anno redemptoris 1091. Præfuit ei Thomas annis novem laudabiliter, fatis concessit 1494.

Anno 1469. Synodus sive capitulum Provinciale habitum est apud Bergam, præsidente Hermanno Antistite: adjuncti erant ei Herbordus San-Paullinus apud Bremam & Guntherus Munchenaumburgensis, Abbates. Inlequenti anno vivendi finem fecit Joannes ab Hagen toties memoratus Bursfeldiæ archimandrita, cum pauperculum suum cœnobi-

um mediocriter instaurasset, nomen verò ei relinqueret ævi-
ternum. Adjiciam de eo Paulli Langij carmen.

Inter quos magnus fuit Abbas ipse Secundus

Joannes Hagen, seu de Indagine dictus.

Qui decus ordinis eximios perfecit agones

Plurima cœnobia collapsa novando per orbem

Vivere ritè docens Benedicti norma beati

Vt jubet angelica, sacratus & ordo requirit.

Sic pater assiduo conatur tempore longo

Fessus & attritus tandem conscendit ad æthra.

Successit Joanni Hagio Theodoricus ex Priore Ammensle-
biensi electus Abbas Bursfeldiæ, quem ejus rei gratiâ hic no-
mino, quia ex monasterio Bergensi Ammenslebium missus
fuerat. Obijt Bursfeldiæ 4. Non. Maij anno 1485. Priusquam
vero historiæ hujus Antistitis finem imponam, quod sequi-
tur attexam. Habebant monachi Bergenses fraternitatem,
quam vocant, cum Canonicis templi Dominici, ideoque fe-
riatis diebus Basilicam ingrediebantur, sacrum vel audituri
vel facturi. Similiter Canonici intellecto alicujus ex mona-
chis excessu, ad cœnobium accedentes exequiis frequentes
intererant. Processioni verò, ut appellant, maximè sollem-
ni, quæ festo Eucharistiæ instituitur, monachi similiter fre-
quentes aderant eo ordine & ritu, ut incederent bini, mona-
chus Bergensis cum Canonico Basilicæ, sic ut ille huic dex-
trum latus clauderet, singulis usitato habitu indutis. Abbas
Hermannus arbitratus, non esse ex re & utilitate monacho-
rum, si frequenter urbem interviferent, inquinari congressu
& conversatione cum secularibus mores solitariorum: præ-
stare solos esse, qui mundum ejurarint, hunc morem abro-
gavit. Permanit alter, quo die Joannis Baptistæ sacro, mo-
nachis cum summi templi sacerdotibus divina pariter cele-
brantibus, dexter locus illis, his sinister tribuebatur. Quæ

consuetudo, ut Ottonem M. Augustum auctorem habere fe-
rebatur, ita in antiquis archiepiscopæ annalibus ejus extat
mentio: credebatur conducere ad mutuam caritatem & con-
cordiam. Sed his paulò prolixius expositis ad præsulis hujus
vitæ in his terris actæ catastrophæ delabendum erit. Profectus
fuerat Zerbestam, veterum Soraborum inclytam metropolim,
hodieque illustri Gymnasio nobilitatam, collegium sancti-
monialium ejus loci reformaturus. In eo negotio occupa-
tum invasit morbus, cum quo diu luctatus tandem defecit,
piè vitâ functus die Agnetis, ut Annales domestici, festo Vin-
centij martyris, ut Paullus Langius, sepultus in medio presbi-
terij sive chori, anno 1478. vir sine controversia sui seculi
ornamentum, qui in meliora si incidisset tempora, majorem
apud posteritatem famam promeruisset. Epicedium ei scri-
ptum est rude & barbarum, quod tamen propter viri memori-
am & auctoris erga defunctum gratitudinem non omittam.

*Hic cine multorum pater Hermannus monachorum
De Bilfelda natus Moller sic cognominatus.
Solers Ottonis fuit Abbas bisque decennis
Christi Baptista Pastor quoque fervidus iste
Rebus, personis reparans multi modè pronis
Natos dilexit flens inimè noxia plexit:
Moribus ornatus, Zelosus, mente renatus,
Verax is fraudis spernendo viam quoque laudis
Ipse monarcha pius reformator bene primus
Martyris affati claustris per hunc renovari
C sexagenas pater isto pondere plenas
Pluribus adjunctis donavit providè cunctis
Normas hic omnem docuit legisque rigorem
Ammensleve struxit debitè diu duxit
Abbatem sistens cum fratribus his benedicens
Musicusque volâ sua præstans sedula dona*

Fautor

Fautor precipuus fidissimus hic fuit hujus
 Bosau pastorem misit monachosque priorem
 Hi regula ritum tunc instituere polium
 Bursfeld prelatum dedit omnibus bene gratum
 Tribus cœnobiis rectores contulit illis
 Hildensleve inuicti vera norma Benedicti
 Abbates precibus poscentibus addidit illis
 Intentos fratres adiutoresque sagaces
 Pastor Nonarum curam gerens animarum
 Et mendicorum fratrum urbanum bene morum
 Largus solator dans munera correnovator
 Prasulis eximij pie Johan & Friderici
 Fratribus hic moriens lacrymis crebris valedicens
 Tristatis cunctis plorantibus in prece junctis
 Anno milleno defunctus septuageno
 Octavo Solis C quater de virgine prolis
 Agnetis festo tumulatus tunc memor esto
 Hunc cari plorent fratres, suppliciter orent,
 Et vos gementes moniales denique flentes,
 Ut perpes cernat illum qui cuncta gubernat.

XLIII. ANDREAS Becker, patriâ Magdepurgius, eligitur
 6. Kal. Febr. anno 1478. Antequam vitæ solitariae se manci-
 paret, officialis erat archiepiscopæ Magdepurgicæ, sub Fri-
 derico & Joanne Antistitibus, in Academia Erfordiensis juris
 Pontificij Doctor creatus. Verum religione tactus, ut pec-
 cata expiaret, vitam monasticam, quam Bertoldus Constan-
 tiensis appendice ad Hermannum Contractum *Angelicam* vo-
 cat, amplexus est. Infula decorabatur Jussu archiepiscopi
 Ernesti, electionem comprobantis, ab Arnolde Antistite
 Brandenpurgio. Monasterium SanPetrinum ad Mersepur-
 gum Thuringiæ urbem, aliquandiu Rectore destitutum, refor-
 mavit, gubernandumque tradidit Cellario suo Thomæ viro



industrius & laboriosus. Conditum est Sanpetrinum cœnobium anno 1091, Imperante Henrico quinto Augusto, Adelgotio Velthemio Magdeburgi Antistitem agente. Fundator celebratur Wernerus undecimus antistes ejus loci, antea Canonicus Goslariensis. Primus Cœnobiarcha fuit Altmannus ex Franciæ orientalis monasterio Suartzachiensi, ad Moenum fluvium, ab undecimo Abbate Burchardo cō amandatus. Thomas de quo dixi, ex Bergensi Cellario Abbas Sanpetrinus successit Henrico ab Homberg tricesimo archimandritæ, qui inde Weissenburgum, quod unum ex quatuor Primariis Romani Imperii cœnobiis principali dignitate pollet, accitus est. Post ejus discessum Sanpetrinum collegium aliquamdiu præside caruit, sed anno 1484. Magdeburgo Thomas cō ablegatur. Andreas Bergensis Antistes novis ædificiis monasterium suum exornavit, prudens ubique & attentus paterfamilias. Quadriennio ante obitum reformavit monasterium Wimmelpurgense in agro Mansfeldico prope Eislebiam, deducto illuc Nicolao collegii sui monacho, quem Abbatem constituit. Hic Nicolaus adhuc in vivis fuit anno 1517, quo inter ipsum & comites Mansfeldios controversiæ quædam per arbitros archiepiscopum Magdeburgium Albertum & alios compositæ sunt.

De Wimmelpurgensis, sive ut veteres litteræ nominant, Wimodepurgenfis cœnobij origine nihil mihi constat: vetus esse didici ex aliquot Episcoporum Halberstadensium diplomatis. Rudolfus ad annum 1141. & ejus successor Ulrichus anno 1150. nominant testem Burchardum Wimodepurgensem Abbatem. Gardolfus ibidem Episcopus ad annum 1197. inter cœteros testem Hermannum Abbatem, qui fortasse diu non superfuit, nam in alio instrumento exprimitur Sigfridus Wimodepurgius illo ipso anno.

Vitam cum morte commutavit Andreas Bergensis 4.
Kal.

Kal. Quintilis, cum monasterio præfuiſſet annis 17. menſibus 5. ſepultus in medio preſbyterij, anno 1495.

XLIV. MATTHIAS Funerato Andream Antiftite exequiſque de more celebratis electioni dictus eſt dies 4. Idus Iulij: quo in monaſterio comparuere Abbates ſex, & in hiſ Joannes Bursfeldenſis, Theodorici cujus meminimus, ſucceſſor. Is habita oratione prolixâ efficaciſque collegio non tam perſvadere, quam adhibitis minis imperare conabatur, ne quem domeſticum ſed peregrinum eligerent. Diſplicebat imperioſum conſilium conventui, ab extraneo prorsus abhorrenti: vicit tamen pertinax Bursfeldenſis animus, omnibusque penè invitis electus eſt Gregorius Antiftes Ammenſlebius, nuper Berga eò abligatus, homo faſtigio ipſo perquam dignus. Qui tamen accepto de electione nuncio, reſpondit: non poſſe ſe, nec velle quicquam ſtatueri, niſi menſis Quintilis, qui tum papalis erat, priùs exiſſet. Quarto demum Auguſti cum ipſe exſpectaretur, miſſo Procuratore, adhibitoque tabellione & teſtibus, jus quod per electionem adeptus erat conventui reſignavit. Conſtitutâ igitur aliâ electionis die fratres congregati non extraneum ſed è ſuo ſodalitio Abbatem designarunt Matthiam Bergerum ex Boruſſia oriundum, id temporis paſtorem animarum in pago monaſterij proprio cui nomen Preſter. Confirmatio petita eſt ab archiepiſcopo ſed propter graſſantem peſtilentiam ad diem uſque natalitium Filii Dei dilata eſt. Cùm autem annis ſeptem præfuiſſet Matthias onere deſiſto quieti ſe tradidit.

XLV THOMAS, coepit anno 1502. Hic idem ille eſt, quem ſupra diximus è collegio Bergeni Merſepurgum miſſum ad reformandum cœnobium SanPetrinum, cui cum præfuiſſet annis 29. revocatus eſt Bergam. Altero quam coeperat anno, ex Miſnia Magdepurgum venit Raimundus Pyrandus rit S. Mariæ novæ Cardinalis Preſbyter, Epicoſopus Gurcenſis
in

in Carinthiâ, legatus Pontificius, onustus indulgentiis pro-
 mercalibus. Commorabatur Magdepurgi totis quatuor se-
 ptimanis, sumtus necessarios affatim præbente archiepiscopo.
 Hospitium habebat in cœnobio Præmonstratensium Divæ
 Mariæ Virgini Deiparæ sacro, inæstimandam hisce in Boreali-
 bus regionibus corrasit pecuniam, nostratibus hypocriti ejus
 dementatis. Vfus fuerat ejus operâ non ita pridem Innocen-
 tius Octavus Pontifex Romanus, cui quod gnavum & indus-
 trium se probasset, denuo hoc tempore ab Alexandro Sexto
 in eandem Messem extrusus est. Inveni multoties rancidas in-
 dulgentiarum litteras in priore legatione venum circumlatas
 expositasque: exemplum propter nunc viventes & qui post
 nos victuri sunt, aucupiorum istorum ignaros hoc loco adji-
 ciam. *Universis & singulis presentes litteras inspecturis Raymun-
 dus Perandi archidiaconus Alnisiensis, in Ecclesia Xanctonensi sacra
 Theologia Professor, sedis Apostolicae prothonorarius & Sanctissimi do-
 mini nostri Papæ Referendarius domesticus, ad Almaniam universas-
 que & singulas provincias, civitates terras & loca Germania Sacro
 Romano imperio, illiusque Electoribus & subditis ubilibet subiectis:
 nec non Dania, Suecia, Norvvegia, Livonia, Prussia & Russia re-
 gna & Insulas & provincias & alia Dominia terras atque loca illis
 adjacentia cum plenâ potestate legati de latere, orator nuncius &
 commissarius Apostolicus, salutem. Notum facimus, quod Sanctissi-
 mus in Christo pater & Dominus noster Dn. Innocentius PP. octavus
 & modernus concessit omnibus & singulis utriusque sexus Christi fi-
 delibus, pro tuitione orthodoxa fidei contra Turcos, ejusdem fidei i-
 nimicos, juxta ordinationem nostram manus adjutrices porrigen-
 tibus, præter Iubileum & alias indulgentias, gratias & facultates,
 quas Christi fideles ipsi obtinere possunt visitando ecclesias, per nos
 aut commissarios nostros deputandos, ac si visitassent basilicas urbis
 tempore Iubilei, prout in litteris Apostolicis de super concessis plenius
 continetur; quod possunt eligere confessorem udoneum, secalarem vel
 regula-*

regularum, qui eis semel in vita ab omnibus & singulis peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, etiam sedi apostolica generaliter vel specialiter reservatis, absolutionem plenissimam impendere: ab aliis vero eidem sedi non reservatis, vita eis comite toriens quotiens eos absolvere, & in mortis articulo ac etiam toriens quotiens de eorum morte dubitatur, etiamsi tunc eos decedere non contingit, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem eis impertiri valeat. Indulsi etiam sanctissimus Dn. noster motu suo proprio omnes & singulos Christi fideles huiusmodi ac eorum parentes & benefactores defunctos, qui cum caritate decesserant, in omnibus precibus, suffragiis, messis, elemosynis, jejniis, orationibus, disciplinis & caeteris omnibus spiritualibus bonis, quae fiunt poterunt, in tota universali sacrosancta Christi ecclesia militante, & omnibus membris ejusdem in perpetuum participes fieri. Et ne super praemissis a quoquam verti possit in dubium, voluit ipse sanctissimus Dominus noster, quod praesentibus nostris litteris, tanta adhibeatur fides, quanta adhiberetur, si sub bulla sua plumbea expedita forent. Nec non easdem sub quibuscunque generalibus vel specialibus de similibus gratiis & facultatibus forsan emanandis revocationibus suspensionibus nullatenus comprehendi debere. Et quia devoti in Christi N. N. N. ad ipsius fidei piam subventionem & defensionem juxta summi Pontificis intentionem & nostram ordinationem prout per praesentes litteras sibi in huiusmodi testimonium a nobis traditas, approbamus de suis bonis contulerint: ideo auctoritate apostolica nobis commissa, ipsis ut dictis gratiis & indulgentiis uti & gaudere possint & valeant concedimus pariter & indulgemus per praesentes. Datum sub sigillo nostro ab hoc ordinato die prima mensis Augusti anno 1489.

Forma absolutionis in vita toriens quotiens.

Misereatur tui Deus & Dominus noster Jesus Christus per meritum passionis te absolvat: auctoritate cujus & apostolica mihi hac in parte concessa ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, Amen.

H

Forma



*Forma absolutionis & plenissimæ remissionis, semel
in vitâ & in vero mortis articulo,
vel in veri simili.*

Misereatur tui Deus & Dominus noster Iesus Christus per meritum suæ passionis te absolvar, & ego auctoritate ipsius & apostolica hac in parte mihi commissa & tibi concessa, te absolvo, primò ab omnî sententia excommunicationis vel majoris vel minoris si quam incurristi. deinde ab omnibus peccatis tuis contritis & confessis & oblitis conferendo tibi plenissimam omnium peccatorum tuorum remissionem, remittendo etiam tibi pœnas purgatorij, in quantum claves sanctæ matris ecclesiæ se extendunt, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.

Haftenus Bulla Raimundi purpurati: quo per Germaniam oberrante, in locum suum migravit Alexander Sextus Papa, Pontificatu, ut Jovius histor. lib. 1. scribit, *variâ labe polluto*: sub cuius dominatione plusquam tyrannicâ, Roma, teste Volaterano, olim *gentium refugium & arx populorum*, omnibus *seculis nobilis*, jam carnificina facta erat.

Eodem hoc anno, qui erat natî Christi 1053. Synodus annualis unionis Bursfeldensis celebrata est in cœnobio Divi Jacobi prope Moguntiam, præsidente Joanne Asch, Abbate Bursfeldensi, cuius collegæ erant Joannes Sancti Michaëlis Hildesensis & Gerhardus in Tholeia, Abbates. Inter fuit Synodo Thomas Bergensis Antistes, audivitque graviter & suaviter perorantem magnum illum Joannem Trithemium ordinis monasterij ornamentum eximium. Cum octennium Bergam rexisset obiit 1510.

XLVI. TILMANNVS. Post Thomæ mortem erant non pauci, qui infulam sibi & pedum monasterij despondebant. Illi quibus poterant artibus & modis sibi conciliabant juniores ambitiosè & procaciter omnia agentes. **Quibus**

bus se mutuo impredientibus cum sub ipsam electionem in diversas iretur sententias, præter bonorum spem, contraque monasterij dignitatem & commodum electus est quem diximus Tilemannus, homo ut litterarum expertus sic humanitatis inops, planeque stolidus. Tulere graviter & iniquo animo saniores monachi insolens agrestis ingenij imperium metuentes tam religioni quam fortunis monasterij. Verum *περὸν* coelestis anxios metu liberavit: quod enim toto vitæ tempore nec sobriè nec temperanter vixisset, aquâ intercute plenus hydrope occubuit, sexto postquam coeperat anno.

XLVII. THEODORVS II. de Hamburg eligitur anno 1516. quo tempore gravis pestilentia infestabat universam Saxoniam toto biennio degtassata: Confirmatus est ab Alberto Cardinale marchione Brandenburgio archiepiscopo, quem non multò post graviter offendit quòd decimas monasterij improvidè & damnosè divendidisset, recuperavit tamen alienata, sed non sine monasterij ingenti incommodo. Altero regiminis sui anno divertit ad ipsum Joannes Tecelius monachus *σακκοφύτης* agyrta & impostor, novus indulgentiarum Papalium negociator, quem plerique in urbibus habitantes coenobitæ aversebantur, quibus enim in locis circulator ille cucullatus vagabatur, suasque sordidas merces vānum exponebat, indulgentiæ olim sacris ædibus indultæ plebique superstitione diebus feriatis impertiri solitæ, quamdiu istis locorum hærebant, suspensæ erant & inefficaces: unde præsens religiosi obventionum diminutio & detrimentum. Effrons improbi nundinatoris imprudentia, tempestatem excitavit ecclesiasticam omni maris commotione saviozem: quæ etsi sublequentibus annis multum innocentis sanguinis effudit, rectis agrisque passim everisionem intulit, principesque viros in carceres compegit, resedit tamen Dei beneficio, nobisque veritatem puritatemque reli-



glionis illustratam, adversariis opprobrium reliquit sempiternum. Obiit Theodorus anno 1522.

-ixib XLIX. HENRICVS VI. cognomento Zironv, natus Perlæbergi, opido marchia Brandenburgensis præfectus est anno eodem. Tranquilla tum erant tempora, cumque religione repurgatâ studia doctrinarum linguarumque passim incrementum accipiebant. Verum felicitatem istam interturbabat fatalis insanientium agricolarum motus & seditio per universam penè Germaniam præter omnem expectationem excitata, quæ desubito eas vires & progressus accepit ut non sine maximo multorumque dispendio oppressa sit & restincta. Tunc temporis monasterium hoc à turbulentis prædonibus despoliatum est & exinanitum. Bello rustico, ut vocatur, confecto, cum Magdeburgum, ab irato Cæsare proscripta, obsidionem, quæ & subsequuta est, merueret, ne quid inde periculi crearetur urbi, cives eruptione factâ monasterium solo æquarunt, Abbate cum suis fratribus in ædem Paullinorum monachorum recepto, ubi ad finem usque belli hujus permanserunt redditibus suis sine diminutione perfruentes. Templum Divi Nicolai cellam præbebat & horreum. Vastatio ista monasterij incidit in annum 1549. Annis sequentibus bona cœnobij vehementer minui & in angustum adduci cæpere, unde Zironio antistiti multiplices curæ & dolores enati. Quibus perferendis superandisque impari se agnoscens in Synodo sive provinciali capitulo Erfordiensis cœnobiarchas congregatos precibus omnibus obtestatus est, darent sibi collegam adiutorem, qui viventi labores & molestias allevaret, mortuo successor daretur. Eum accepit Petrum Vlnerum aulicum Wolfenbuteli concionatorem, triginta sex annorum hominem, qui anno 1560. Dominica prima post trinitatis introductus est. Non diu super vixit Zironius curis, laboribus & ægritudine exhaustus 39. anno gubernationis defunctus.

XLIX. PETRVS Vlnerus natus est Gladebaci ditio-
 nis Juliaccensis opido, in quo insigne conspicitur monasteri-
 um familiae Benedictinae à Gerone archiepiscopo conditum.
 Annus natalis Vlneri indicatur 1523. 15. Kal. Novembr. Pa-
 renti nomen fuit Laurentio, qui summos in republicâ gessit
 magistratus, obiit septuagenarius anno 1569. Filium rectè
 institutum uberioris ingenii cultus capiendi causa misit Da-
 ventriam ubi à multis annis Alexander Hegius Westvalus e-
 jusque successores florentissimam scholam habebant. Nam
 ut de Hegio tantum loquar, amplissimum testem habemus
 Joannem Boutzbachium Piemontanum Lacensis in Eupha-
 lia cœnobij priorem, prædicantem in schola Hegij Daven-
 triæ uno eodemque se tempore habuisse condiscipulos du-
 centos supramille. Ex Daventriensi schola mittitur Vln-
 erus Bascumducis Brabantiaë urbem, olim & ipsam ludo lit-
 terario celebrem. Annum agens 19. à parente commenda-
 tus est Hermanno ab Holte, Imperalium monasteriorum
 Werdinæ & Helmæstadij Abbati reverendissimo: è cujus ma-
 nibus veste sacrâ sumpta ordini Benedictinorum initiatus est.
 Quia verò Abbas ipse litteris instructus erat, plurimumque
 eas amabat, suos etiam rectè erudiri cupiebat, Vlnerum, in
 quo excitatum animadvertit ingenium, Coloniam Vbio-
 rum misit, ubi cum aliquamdiu tam Philosophiæ quam
 Theologiæ operam navasset, munus habendi conciones ad
 plebem de sententiâ totius collegii accepit. Anno 1554.
 missus est in Saxoniam ad monasterium San-Ludgerianum
 viculo Orientali ad opidum Helmæstadium contiguum, ut
 ibi etiam ministerio docendi fungeretur: Verùm anno e-
 voluto ab Henrico Juniore Brunsvicensium duce, monaste-
 rij San-Ludgeriani patrono & benefactore, aulicum conci-
 onatorem desiderante accitus est. Sunt ab aliquot seculis
 Duces Brunsvicenses monasterij prædicti Advocati (Germa-

nis *Edle / oder Rastenvögte* nominantur) quâ dignitate, Iudicium sanguinis sibi vendicante, longe ante Helmæstadium precio euntum præpotens illa familia beneficio Abbatum Werdenensium gavila est, hodieque gaudet peculiari-ter. Erat, cum in aulam immigraret, Vlnerus annorum triginta duorum. Ibi triennium vixit carus Principatus proceribus, excellentem ejus doctrinam, vitæ integritatem, morumque svavitatem amantibus. Inter alios ministerij ecclesiastici labores, hunc sibi etiam sumsit, ut explicationem Evangeliorum Dominicalium Joannis Feri, monachi Dominicani disertissimi, in Epitomen redigeret, quæ Wolfebutteli primum, deinde Colonia typis excusa est. Adjutor Antistiti Bergensi declaratus, eo se transtulit. Verum adversarium & competitorem invenit equestris ordinis hominem, supra modum ferocientem, quem tamen patientiâ vicit, voti sui compos factus. Etenim anno 1560. ab archiepiscopo Sigismundo confirmatus proxime insequenti, cum Zironius vitam finiisset, plenam gubernationem aggressus est. Fuit in ea annis triginta quinque, quibus plurimum monasterio profuit, cum primis ædificiis dirutis reparandis restituentisque. Omnibus istis beneficiis multo augustius est, quod Collegium suum jugo Papatus excusso erroribusque in vectis profligatis, Christo reddidit, vereque secundum Divi Benedicti regulam *Dominici Scholam Servitij* effecit, quæ in vineam messemque filii Dei quamplurimos operarios extulit. Reformationem collegij incoavit anno Christi 1565. Dominicâ duodecimâ post trinitatis, biennio ante emendationem in templo cathedrali institutam. Correxerit tunc libros rituales, quibus preces ordinariæ & psalmodiæ continentur, eliminatis & rejectis quotquot Idololatricam superstitionem redolebant. Munus docendi à reformatione ipse obivit, habitis concionibus eruditis, solidaque pietate refertis. Scholam

iam rectè constituit adjunctâ ei bibliothecâ luculentâ, ut in
 promptu essent Theologi veteres & recentes, alique sapien-
 tiæ magistri à monachis nocturna diurnaque manu versan-
 di : Gymnasio præfecit Henricum Homelium, virum exi-
 miè doctum ac facundum, qui capita doctrinæ Christianæ
 discipulis succinctè nervoseque proponeret. Labores ejus
 pii & docti sunt in medio, commendationem insignium The-
 ologorum indepti : Excepta est aliquando vox Christopho-
 ri Mollendorffii, summi templi id temporis Decani, Vlnerum
 esse coronam monachorum, quod elogium ab omni adu-
 latione liberum, eque puro veritatisque amante animo pro-
 fectam, nemo qui Vlnerum rectè nosset, inficias ire poterat.
 Propter memoriam fortissimi Herois Henrici Ducis Brunsvi-
 censis, cui in verâ agnitione filij Dei defuncto orationem fu-
 nebrem habuerat, à filio & herede Duce Julio reformationi
 ecclesiarum florentissimæ regionis una cum præstantissimis
 Theologis Martino Chemnitio & Jacobo Andreae adhibitus
 est anno 1569. Vbi omnia ex singulari fide egit & industriâ. Nō
 multò post simili ecclesiastico muneri in amplissima diœcesi
 Magdepurgicâ interfuit, & incredibili animi mansuetudine,
 morum gravitate & sermonis efficacîâ quam plurimos in su-
 perstitionem demersos informavit, permovit, emendavit. Qui-
 bus ut exemplo præiret, post impetratum à summo magistratu
 consensum, abdicato periculo cœlibatus, uxorem duxit, eamq;
 virginem, Magdeburgi honestissimo loco natâ, Joannis West-
 vali, Republicæ camerarij, filiam : ex qua filiū sustulit unum &
 quatuor filias. Amisit hanc anno 1586. postquam precum & la-
 borum fidelem sociam habuerat annis 3. duxit enim 1573 die
 Petri & Pauli Apostolorum. Ab obitu conjugis ætate ingra-
 vescente cœpit & ipse mortem meditari, seq; ad beatam ex hac
 vitâ emigrationem parare, loco sepulturæ electo, & lapide se-
 pulchrali curato. Obiit 1595. 9. Idus Septembris, manè intra ho-
 ram

ram sextam & septimam, cum climactericum enneaticum octavum, hoc est annos 72, superasset. Vitæ pietatis plenæ consentaneus fuit exitus: Pius enim precibus divinam opem sine intermissione implorans inter sancta suspiria exspiravit. Concione sub deductionem funeris, ritu in ecclesiis nostris usitato, habuit Sigfridus Saccus, Doctor Theologus, de vero fundamento & basi nostræ salutis ex priore ad Corinthios cap. 3. Æternam sibi suoque monasterio apud rectè credentes famam & gloriam comparavit, quòd symboli sive confessionis adversus corruptelas nostro hoc seculo introductas, cui Formulæ concordiæ nomen tributum, auctores sive concinnatores, pientissimorum principum auctoritate ad id negotium delectos, hospitio aliquoties excepit, secumque commorantes liberaliter semper & magnificè tractavit. Quam beneficentiam, ipsi Deo sine dubio per gratam, maleferiatis quibusdam hominibus exagitare collibuit, ut & libro ipsi, & ejus concinnatoribus nomen à monasterio indiderint. Circumferuntur ejus generis cartæ puridæ, libelli famosi, satyræ maledicæ, emissæ partim ab infamibus scurris & poetastris, partim ab irreligiosis, Matæologis, qui obliti mansuetudinis Christianæ, tum demum officio suo se præclare functos, suæque religioni optimè consultum arbitrabantur, si adversarios, quantumvis innocentes, bonisque omnibus excusatos, convitiis Diabolicis, quantum in se est, prosciderint.

L. CLEMENS Strathusius natus fuit Werdenæ in Westphalia, ad Ruram fluvium, patre Hermanno Strathusio viro probo & industrio. Annus natalis ignoratur: hoc saltem constat, venisse ipsum in Saxoniam anno ætatis xv, cum moreretur, nonagenarium fuisse.

FINIS CHRONICI
BERGENSIS.

LAV.

LAURENTII PASCHÆ
SS. Theol. Doctoris

TETRASTICHA

in Abbates Bergenses prope
Magdeburgum,

primum edita.

ANNO M D XLIV.

Anni
Christi.

66

IN ABBAT. BERGENS.

*ANNO I. ABBAS Magdeburgensis, postea factus
Episcopus VVORMACIENSIS.*

936.

Primus in hoc folio, mandato Cæsaris, ANNO
Fit Pater, & Fratres quærit ubique pios,
Qui recolant secum Dominumque Deumque canendo,
Postea Gvvarmaticas, pascit amanter, oves.

*OTHUVINVS II. postea Episcopus HILDENSHEIMENSIS,
& decimus ejus Ecclesie Episcopus fuit.*

950.

Proximus Othuvinum nobis dedit ordo secundum,
Percelebrem, sancta simplicitate, virum,
Hinc illi tandem Clerus populusque sacratus,
HILDENSHEIMACUM dat tribuitque pedum.

RICHARIVS III.

959.

Tempore Richarij, Monachalem, transtulit Otto,
Sedem, vicinum Montis in usque locum.
Mauricijque sacram, pugnantis, Episcopon, ædem,
Parthenicum, propriam, semper habere jubet.

HERDINGUS IIII. ABBAS Primus autem Bergensis.

968.

Herdingus, primus, Bergensis dicitur Abbas,
Qui modo Baptista signa Johannis habet,
Hoc Patre, Fundator Cæsar, foeliciter, OTTO
Mortuus, ætherei subrepat astra Poli.

RIDAGVS V. Postea Abbas Luneburgensis.

990.

RIDAGE, Dageni falso delatus in aulam,
Pelleris è folio, res miseranda, tuo.
Attamen innotuit, culpa te quando, vacare,
Lunenburgiacam dirigis arte domum.

ALFKERVS VI.

1005.

Regnat ut ALFKERUS, castissima Cæsaris uxor,
Condedit æthereo quæ sacra templa Deo,
Percelebris, mundum, multa pietate, relinquens,
Scandit ad Angelici, gaudia summa, chori.

SIGE.

TETRASTICHA

67 Anni

SIGEFRIDVS I. ABBAS VII. Comes Saxonicus, à VValbeck, Frater Christi,

Diethmars Episcopi Merseburgensis, postea factus
Episcopus Monasteriensis.

Res memoranda quidem, Sigefrido Præsule, montis 1009.
Igne Monasterij res periere novi.

Quod tamen ædificans, iterum Comes ille novavit.

Ditat & ex proprijs, ardua templa, bonis.

MARQUARDVS IIX.

LAude nihil dignum Marquardus Presbyter egit, 1020.
Dum fuit in Claustro, Mons, Pater, alte tuo.

Hinc nihil est illi reliquum, nisi rite precemur,

Ut habeat placidum, tempus in omne, Deum.

BRVNO IX. Comes à VValbeck, postea Episco-
pus Verdensis factus.

Bruno Monasterijs dum præsuit ille duobus, 1025.
Postea Verdensis Præsulis arma capit,

A puero fuerat quoniam nutritus ad illud,

Vt tenerum Christi pascat Ovile Dei.

SIDAGVS X.

Dithmarus æternos, Prior, ut quoque ferret honores, 1034.
Quos Superum summa Rector ab arce dabit.

Hoc Patre, Monticolis Monachis, regnante Sidago,

Ante suam mortem plurima dona dedit.

BERNHARDVS I. Abbas XI.

A Patre Bernhardo, Brumbei, pietatis amore, 1051.
Villa datur Monachis, vomere culta satis,

Rumpitur & sanctæ Monachorum Regula vitæ,

Dum cupiunt aura liberiore frui.

BERNHARDVS II. Abbas XII.

Regula cum Fratrum cessat, quoque Regula Patrum 1076.
Desinit, ut hujus Præsulis acta docent,

Nam bona dilapidat proprij dum singula Claustri,

Dejicitur regno turpiter ipse suo.

HILDEBOLDVS XIII. Ex Monasterio Hirsaugiensi electus.

Dicitur in populæ, nullo discrimine, raso, 1098.
Hoc, ubi vel brutis, vita nefanda magis,

Anni 68.

IN ABBAT. BERGENS.

Christi. Ecce venit Hildeboldus, vir doctus & acer,
Qui vocat in justum, perdit cuncta, statum.

HUGO XIV Abbas. Qui & ipse quoque, ex Hirsburgia adductus.

1113. **Q**Vando Domeslebius Bernardus nobilis, esset
Ultimus in populo, res memoranda, suo:
Ecce duas villas Monachis donavit, & unam
Mauricio, Montis cum Pater Hugo fuit.

ARNOLDVS I. Abbas XV Bergensis & Nienburgensis.

1119. **P**Arthenicus factus Nortbertus Episcopus, hujus
Arnoldi studijs atque labore fuit.
Cum tamen electus, Clerici concorde senatu,
Hunc, quidam, contra, nobilis alter erat.

*SIGEFRIDVS II. XVI Abbas, Bergensis & Nienburgensis,
postea factus Abbas Hirsfeldensis.*

1158. **T**ER septem placidis Sigefridus præfuit annis,
Et Hirsfeldenses postea quærit agros:
Cum bona, Borgensi populo, Privilegia, primum
A summo precibus Præfule nactus erat.

HINRICVS I. ABBAS XVII.

1180. **N**Ominis Hinrici tantum fit mentio primi
Huius, de rebus scit Deus ipse suis.
Attamen in Chronicis, cum sordida crimina, libris,
Nulla lego, justum credo fuisse virum.

REINBODO XIX.

1190. **C**Astra struens, turresque novans, bona sacra gubernans,
Reinbodo, meruit nomen in orbe bonum,
Hinc poterit multis Abbatibus esse figura.
Quam studeant oculis proposuisse suis.

HINRICVS II. Abbas XIX.

1208. **L**Argus hic in miseros, Hinricus, visere sanctam
Terram, devoto pectore quando cupit,
Deficit in redi u, febrili correptus acuta,
Ac in Cassino Monte sepultus, obit.

FRIDERICVS XX.

1218. **P**Ancratij capitis Fridericus tempora cingit
Auro, Reliquias colligit atque sacras.

Postea

TETRASTICHA:

69 Anni
Christi.

Postea commutat charam, cum morte, salutem
Corporis, & vitam quærit aditque novam.

BERTRAMVS XXI.

TEmpore Bertrami cœpit discordia Fratrum
Maxima, tartareo signa movente Deo,
Hanc tamen Albertus subito compescuit Heros
Parthenicus, meritis præmia dando suis.

ACHILLES XXII.

Bella velut gladio confecit Achilles Homeri
Sæpius, & spoliū victor ab hoste tulit:
Prælia sic precibus fecit Bergensis Achilles,
Victor in horrendi Dæmonis arma ruens.

RVDOLPHVS XXIII.

Prædia Rudolphus, villas mansosque coemit,
Instituens Horas, virgo Maria, tuas.
Denique confectus senio multoque dolore,
Redditur alveolo, putrida terra, tuo.

GEBERHARDVS XXIV.

Largum quandoquidem nomen Geberardus habebat,
Pauperibus multis munera multa dedit
Fratribus & Monachis, animæ pro pace migrantis,
Ex proprio mansos emerat ære duos.

JOHANNES XXV.

Vendidit ex auro tabulam, quo debita posset
Solvere, contraxit quæ Pater ante suos.
Nec sine Conventus consensu totius hujus,
Qui vel ad hoc, duro tempore, promptus erat.

HEIDENRICVS XXVI.

Mentis erat compos vix Heidenricus, ob æstum
Cordis, ei quem dux moverat ante Satan,
Hinc iterum conflat quamplurima debita Monti,
Nec, quod adhuc superest, diripuisse timet.

HEIDOLPHVS XXVII.

Vendiderat quamvis tabulam calicesque Johannes,
Debita quo tandem solvere cuncta queat,
Sufficit haud tamen hoc, Judæis venditur ergo
Campana, Heidolpho, res miseranda, Patre.

1221.
1222.
1243.
1248.
1263.
1278.
1281.
1287.

Anni
Christi. 70

IN ABBAT. BRRGENS.

BODO I. ABBAS XXIX.

1293. **P**Ræfulis Heidolphi, post ultima funera, Bodo
El gitor, capitis dexteris homo.
Debita sed Clauſtri poſtquam ſe ſoluerè poſſe
Hæſitat, impoſitum jure repellit onus.

ARNOLDVS II. Abbas XXIX.

1298. **N**E, ſine Conuentus nutu, quis mutuet aurum,
Arnoldus, pœna conueniente, cavet.
Et bona quæ fuerant pro pignore tradita, ruruſum
Liberat, in melius ſingula quæque locans.

BODO II. Nobilis de VVantsleben Abbas XXX.

1313. **A**Vrea falciferi redierunt ſæcula Regis,
Cum Bodo Montani cœperat arma chori,
Dives enim ſacris decimis pagisque redemptis,
Prædia poſſeſſis adjicit, auget, agris.

ANNO II. Abbas XXXI.

1328. **A**Nno ſenex ſummi curat ſolennia templi
Feſta magis, regni quam colit arua ſui.
Propterea ſtatuit certis cantarier horis,
Perpetuo, Divis, cantica grata, luïs.

ZLAVCO XXXII.

1333. **Z**Lauco triumphales pompas, ſumptusque prophanos,
In mundo, tumida carne regente facit,
Cum fuerat melius Monachalem ducere vitam,
Seque vel in Cella continuiſſe ſua.

THEODORICVS LEO I. Abbas XXXIII.

1345. **F**Ana, Sigefridus, quæ condere cœperat ante,
Hæc Theodoricus ſplendidiora facit.
Ac ea, Mauricij cum templo, dedicat uno
Tempore, Parthenici Præfulis, uncta manus.

IOGANNES II. de Ruſleben, Abbas XXXIV.

1372. **C**Ondit adhuc Monachus, multis Altaria Sanctis,
Quæ, Pater electus, poſt meliora facit.
Furibus at ſociis legem præſcribit iniquam,
Ne proſit quamvis pœnituiſſe velint.

HENNINGVS XXXV.

1380. **H**ic tribus integris Henningus præfuit annis,
Demetiens Fratrum pinguia rura ſuum,

TETRASTICHA.

71 Anni
Christi.

Præterea referunt nihil hic Annalia nobis,
Carminè quod possem commemorare meo.

*ALBERTVS de Querfordt, Frater Archiepiscopi
Magdeburgensis Alberti, XXXVI.*

Albertus mundi pomparum summus amator,
Prodigit, hic Montis quicquid agellus habet.
Et si defuerit quondam quod devoret, inquit,
Se tandem Monachos velle vorare suos.

1383.

ARNOLDVS III. Ex Familia de Harckstro, Abbas XXXVII.

Tertius, haud multos, Arnoldus, præsidet annos,
Qui de Parthenico sanguine natus erat.
Hic, ubi Luciae produxit virginis umbram
Phœbus, Olympiacas scandit aditque domos.

1393.

HINRICVS III. Cognomento Schorro. XXXIIX.

Conventus jussu, frendens, insignia, Schorro,
Cogitur officij deposuisse sui:
Non fuit œconomus quoniam, nec sacra gubernat,
Muneris, ut decuit, pro ratione sui.

1408.

FRANCISCVS BEIL. XXXIX.

Stendalium genuit Franciscum, Berga locavit
Præsulis in summum, sede vacante, locum.
Cujus in imperio rursus discordia Fratrum
Cœpit, & in Claustro vita soluta fuit.

1411.

HINRICVS IV. de Buckenovv XL.

Nobilis, Hinricum, Gunterus Episcopus, illum
Longius ex alijs huc vocat usque locis,
Vt faciat pacem, Monachos, Fratresque reformet,
Vivere Claustrali quos sine lege iuvat.

1415.

HINRICVS V. de Moskarv. XLI.

Lvstra, regit sacras, Hinricus, quatuor, Aras
Has, qui perpetuo vivere dignus erat,
Namque brevi cumulum rutili congefferat auri,
Et poterat rebus consuluisse sacris.

1429.

HERMANNVS MOLITORIS. XLII.

Ex stabulo facta est, Hermanno Præsule nostro,
Splendida collectis Bibliotheca libris.

1450.

Ædifi-

Anni 72 IN ABBAT. BERGENS. TETRASTICHA.
Christi. Ædificat turres, altas & construit ædes.

Post, Senior, placida morte, peremptus abit.

ANDREAS BECKER XLIII.

1478. **A**ndreas Canonum Doctor celeberrimus, olim
Parthenicus præstans Officialis erat.
Postmodo contemnens mundum, subit atria Claustris,
In quibus, extremum finit obitque diem.

MATTHIAS XLIV.

1495. **C**onsecrat Ernestus Princeps de more Mathiam,
Vult & ei sacras imposuisse manus.

Sed ubi sex totos, tribus & cum mensibus, annos
Rex fuerat, Baculum projicit inde suum.

THOMAS XLV.

1502. **I**tale, Cardineum gestans, Raimunde, galerum,
Quæris ubi nummos hic & ubique tuos.

Cur tibi perplacuit, Montani culmina Templi
Visere? quo, Thomas, tempore, Rector erat?

TILEMANNVS XLVI.

1510. **E**t furor & rabies, tandem petulantia Fratrum,
Quam sequitur regni perniciofa fames,
Constituunt stolidum Tilemannum denique Patrem,
Qui tamen internis, disperit æger, aquis.

THEODORICVS II. De Hamburg, Abbas. XLVII.

1516. **V**endidit hic decimas Abbas Theodorus, & ergo,
Præsul ei summus non satis æquus erat.

Postea sed decimas redimit, redimitque favorem
Principis, at regni, non sine clade, sui.

*HENRICVS VI. Cognomine Zyrouv Perlbergensis,
XLIIIX.*

1522. **R**vstica colluvies cum grassaretur in orbe,
Hinricus, timuit rebus, & ipse, suis.

1525. Hinc cito Parthenicum, miseranda voce, Senatam,
Invocat, hoc, tutus possit ut esse, loco.

1555. *PETRVS VLNERVS. XLIX.*


Vlnerus, Ducis Henrici, Brunonis ab urbe
Dicti, sacrata Pastor in æde fuit.

1560. Electum firmans, regali stirpe creatus
Sigmundus, mandræ collocat in solio.

F I N I S.



HENRICUS MEIBOMIUS
Lectori S.

 *Væ de Cænobio Bergensi, ejusq; Abbätibus Avus meus consignavit, ut quidem ea ad me pervenere, edidi omnia. Desiit autem in Clemente, quinquagesimo Abbate, post cujus obitum ipse per aliquot quidem annos adhuc superfuit, de successore tamen Iohanne Heidenio nihil annotavit, imò in Clementis Strathusij historia justo parcior est. Cum vero modernus Cænobij illius Imperialis Bergensis Abbas, Vir maximè Reverendus, Amplissimusq; Dn. SEBASTIANVS GOEBELIUS, mihi in editione hujus Chronici occupato ultro transmiserit, unde & Clementis suppleri & reliquorum Abbatum vitæ contexti possint; dignissimum judicavi, horum quoque optime de monasterio meritorum virorum memoriam conservari, cum præsertim in eo feliciores suis antecessoribus fuerint, quod sub illorum regimine hoc monasterium veræ & sinceræ religionis seminarium non ignobile extiterit.*

L. CLEMENS. Natus est prope Werdenam in Westphalia ad Ruram fl. in prædio Strathuso, quod ab avis ejus dudum possessum, toti familiæ nomen dedit. Fratrem Germanum habuit Antonium Strathusium, qui in hoc etiam Archiepiscopatu in sacro ordine magnos honores adeptus est. Primum quidem in Ammenslebiensi monasterio Conventualis & dein Procurator: mortuo autem Goebelino Abbate Hildenslebin sic illi successit, perque novem annos isti muneri præfuit. Venerat

K

rat



rat Clemens ad hunc fratrem suum Hildenslebium una cum
patre quindecim primum annos natus, sed cum probis moribus
esset, modestiaque insigni, Henricum Abbatem Ammensle-
bensem ita cepit, ut Ammenslebi secum esse vellet, & per
aliquod quidem tempus ad scholam Hallenslebiensem mitte-
ret, dein autem in monasterium suum reciperet, & quibus-
cunque posset modis, ornaret. Igitur & Abbati Bergensi
Henrico Zirovv de meliori nota non sine fructu, commenda-
vit; rebus tamen illius monasterii male se habentibus Am-
menslebi mansit, donec Petrus Vlnerus, Henrici successor,
præstantissimus vir & magnus restaurator Cœnobii Clemen-
tem ad se vocaret. Creverat cum ætate prudentia, ideoque
optimi viri benevolentiam ita sibi conciliavit, ut paterne ab
illo diligi videretur. Vnde mox Cellarii munere ornatus
est, in quo administrando ita se gessit, ut spem patroni sui su-
peraret. Anno 1575. Cœnobio Virginum Meindorffensi
Præpositus datus est, quod ære alieno, quo penè oppressum
maximam partem liberavit, non sine magna nominis sui fa-
ma, in minoris rei cura ostendens, quid in majori posset. Hinc
post decennium mortuo Vlnero, cum ad eligendum novum
Abbatem una cum aliis vocaretur, non comparuit quidem,
interim tamen concordibus suffragiis in Abbatem electus est
& à Serenissimo Principe Dn. Joachimo Friderico Marchione
Brandenburgico, tum temporis Archiepiscopatus Admini-
stratore, confirmatus. Solent modesta ingenia etiam maxi-
me meritos honores quàm diligentissime declinare, idque e-
tiam sincere agebat Clemens, non diu post electionem accu-
sando Conventuales, electionis non benè factæ. Multo enim
aptiores alios potuisse eligi, sibi capulari senis animi corporis-
que vires deficere, sine quibus illa provincia administrari ne-
queat. Ita parum sibi fidebat optimus senex. Quamvis enim
robur corporis illi pene singulare fuisse, & in extrema quoque
senectâ acie vilus egregiè cum admiratione omnium valuisse
constans

constans fama sit, tamen Anno 1608 imbecillitatis nomine sibi Coadjutorem dari petiit, & impetravit, Paullum Gothofredum, virum egregium, qui tamen post annum quartum mortuus est, superstite adhuc Abbate Clemente, cujus humeris subire debebat, turbato mortalitatis ordine. Memorari meretur, Abbatem Clementem sepulcralem lapidem, quem vivus sibi fieri curaverat, huic Coadjutori suo Paulo Gothofredo concessisse, eoque illum tegi voluisse: confestim tamen novum sibi fieri curavit, ut in recenti semper memoria mors esset, exspectanda quidem juvenibus, sed senum cervicibus propius impendens. Interim in omnibus monasterii rebus patrem curam & prudentiam adhibuit, maximo cum publico emolumento, nec minore sui gloria. Restauraverat Vlnerus pleraque Coenobii aedificia, ad quod cum magni sumptus requirerentur, non parvum as alienum contraxerat. Illo ut liberaret monasterium diligenter operam dedit Clemens, successitque res tam feliciter, ut non tantum intra viginti sex, quibus praefuit annos, debita solverentur, sed redditus quoque non parum augerentur, imprimis coemptis praediis duobus in Presster & Osterwittingen. Non minus autem res Ecclesiasticas, quam Oeconomicas, ceu dixi, curabat. Vitam severè instituebat, nihil eorum, quæ ad religiosum cultum pertinent, intermitrens, ipse in fundendis precibus assiduus. Natum quidem illum Parentibus, pontificiis superstitionibus addictis, constat, & iis etiam in tenera ætate imbutum, voluit tamen Deus eum mature resipere, quippe, qui jam tum anno 1565. cum Monasterium Bergense sæpius laudatus Vlnerus reformaret, errores agnovit, nostramque Confessionem, Augustæ propositam, amplexus est. Non desit igitur exemplo Antecessoris sui pietatem omnibus modis promovere, quæque Vlnerus instituerat, scholam, Bibliothecam, quæque de Canticis Ecclesiasticis, de Concionandi exercitiis inter conventuales, Lectionibus inter edendum pie & prudenter ordinaverat, diligentissi-



mè conservavit. Mortuus est 19. Julii 1621, circa noctis meridiem, placida morte, quam sæpe ardentibus à Deo precibus petierat, inter suspiria & preces conventualium & amicorum. Nonagenarium se jam esse paullo ante obitum dixit, quamvis de die ipsius natali nihil certo testimonio habeatur. Funebrem Concionem, rogatus à conventu, habuit Reinhardus Bakius SS. Theol. Doctor. eod die, quo in templo monasterii honorificè sepultus est.

LI. IOHANNES HEIDENIVS. Natus est anno 1585, Ierslebij patre viro Reverendo Iohanne Heidenio, pastore illius loci, quem tamen nimis mature, anno ætatis suæ octavo amisit, ideoque Verdam ad cognatum missus est, ubi alterum ætatis suæ octennium transegit, literis in schola publica diligentem operam dando. Rediit dein in patriam, sed mox missus Brandenburgum in Scholam Salderianam, inde Quedlinburgum, donec tandem studiis majoribus aptus ad Academiam Juliam sese conferret, ubi per annum integrum commoratus est. Inde Witebergam profectus est, ibique per biennium vixit, sed premente eum, quæ bonæ mentis soror esse solet, paupertate rediit, estque per Paullum Gothofredum Coadjutorem in Frarrum Cœnobii Bergensis numerum cooptatus. Diligentia tum sua & pietate ita se commendavit Domino Abbati, ut, mortuo Præposito Wolmerstedensi, illius locum nancisceretur. Cui quidem Cœnobio per 6. annos non sine illustribus pietatis & fidelitatis documentis præfuit, donec anno 1621. mortuo Clemente Abbas Bergensis legitime eligeretur, proclamatione à D. Bakio solenniter facta. Fuerunt tum ea tempora ut multis curis laboribusque constaret ipsi hæc dignitas. Nam relinquere monasterium & in urbe se ægre sustentare cogebatur, tristesque semper afferebantur nuncii, qui spoliatum monasterium, abacta pecora, abductas fruges nunciarent: quæ tanto ægrius ferebat, quanto magis se obstrictum remedio ferendo sciebat, parem autem se non inveniebat.

veniebat. Ita quidem molesta maxime fuit ipsi hæc functio, sed & brevis. Mortuus enim quinto sui regiminis anno, nondum media parte finito, abreptus dysenteria populariter tum grassante. Annus ætatis ejus 42. fuisse memoratur. Sepultus est in templo monasterii Virginis Mariæ in urbe Magdeburgo, funebrem concionem habente eodem, quem supra laudavimus, Bakio.

LII. SAMVEL CRUSIVS. Natus est anno 1592. Hundsburgi patre Viro Reverendo Henrico Crusio, tum temporis Rectore Scholæ Hundsburgensis, dein Pastore Glotensi. Amisit quidem in prima juventute patrem, sed defectum illum supplevit cognatorum diligens cura. Dedit operam literis in schola non una, Brunsvicensi, Saltzvedelensiq̃ue, ubi sub celebri Rectore Ludovico Pratorio diu vixit, plurimumq̃ue profecit, ut anno 1613. qui ætatis erat 21. Witebergam se conferret, Academicis studiis aptus, ubi in tertium annum sacras literas imprimis tractavit sub magnis Theologis, Leonhardo Huttero, Friderico Balduino, Wolffgango Frantzio, Balthasare Meisnero, Jacobo Martini. Quamvis autem publice & privatim sub illis intra triennium non parum proficeret, & nihil magis optaret, quam bene cœpta feliciter absolvere, tamen deficientibus sumptibus medio in cursu interruptus munus qualecunque oblatum accipere coactus est. Erat in schola monasterii sui formanda tum temporis occupatus Abbas Clemens Strathusius, ad quam regendam vocabatur. Suscepit spartam 14. Augusti 1615. & in 7. usque annum non parum eam ornavit, donec Abbate Johanne Heidenio, pulveri scholastico subductus in fratrem Cœnobii reciperetur, & post annum, qui erat seculi hujus 23. in numerum Conventualium, tandemq; sequenti anno Procurator, Conventualium omnium unanimi consensu, constitueretur. Interveniens dein fatalibus belli calamitatibus, mortuoq; in urbe Abbate Johanne Heidenio, hic Procurator in illius locum successit. A Sa



sunt omnia more recepto, juxta tenorem legum. Communi enim consensu omnium Conventualium singulari Dei providentia per Benedictum Sartorium Notarium publicum presentibus aliquot testibus Abbas Bergensis rite electus est & à D. Reinhardo Bakio in Cathedrali Templo Concionatore proclamatus, dein à Reverendissimo, Serenissimo Dn. Augusto Postulato Archiepiscopatus Magdeb. Administratore, rite confirmatus est. Juramentum præstitit incurvatis genibus & erectis digitis coram Altari in templo Cathedrali, comitantibus cum Abbatibus Ammenslebiensi, Hildenslebiensi & Præposito Monasterii Mariæ in Magdeb. Verum quibus Antecessor ipsius immortuus fuerat calamitatibus, eæ novo quasi impetu facta in illum irruerunt. A. 28. hujus seculi à milite Casarico, cleroq; Pontificio monasterio ejectus est & expulsus, multaq; indigna passus, ipsis belli flammis Magdeburgum cingentibus.

Mantua va! misera nimium vicina Cremona!

Illuxit tamen iterum sol, cumque vigore pacis Pragensis omnes qui ab anno 1627. ejecti erant, repetere munus locumque suum licite possent, ipse etiam anno 1636. consensu Serenissimi Dn. Iohannis Georgii Ducis Saxoniae &c. S. R. Imperii Septemviri, tum temporis Plenipotentiarum, in integrum restitutus est, retinuitque dein locum, & Conventum tenore Foundationis conservavit, durante adhuc truculentissimo bello. Equidem quæ in optimis quoque de conservando monasterio consiliis impedimenta habuerit, quivis facile conjicere potest, qui silere omnia jura inter arma novit. Restauravit tamen ædificia quædam, Ædem sacram, cum capella prope devastatum cœnobium, braxatorium, horreum, molendinum, non quidem ut volebat, sed ut poterat, cum de necessariis magis, quam commodis sollicitum esse cogere infelicia tempora. Tanta enim erat pecuniæ pecuniaria, ut ad hæc ædificia, maxime tantum necessariis usibus paranda, Prædiâ Prestensia ab Abbate Clemente empta, prævio tamen
con-

consensu Reverendiss. Archiepiscopi, vendere cogeretur. Vir-
tæ fuit inculpata, pietatis imprimis amans & ad DEI nutum se-
se componere promptus. Admirationi plurimis fuit ipsius
constantia, magnusque in adversis animus, cum, quibus re-
liqui dejiciebantur calamitatibus maximis, in illis sese erige-
ret ipse, viresque sumeret à vulnere, ratus cum Lactantio *mise-
rias illas laboresq; exercitia & corroboramenta virtutis esse*. Vxo-
rem exemplo Vineri habuit, quam tamen A. 1629, cum nul-
la recuperandæ dignitatis spes superesset, viduam duxerat,
Mariam Hartmannam, honesto loco natam. Obiit illa 2. Mar-
tii 1649, sepultaque est Magdeburgi, in templo coenobii Ma-
riæ Virginis, cum trium filiorum Henrici, Gotfridi, Christo-
phori parentem fecisset. Non utebatur satis firma valetudi-
ne, cumque augmento ætatis cachexia invalescere incipiebat,
quâ in aquam intercutem tandem desinente, diu conflictatus
fuit. Adhibuit illi debita remedia, quibus cum malum majus
esse intelligeret, in consueta sibi patientia maximum invenit
levamen. Admonebat longus morbus, ut sarcinulas compo-
neret, & ipse ultro promptus de discessu ex hac vita placido &
beato semper cogitabat, qui inter suorum preces 20. Martii
1658. hora prima evenit, cum annum ætatis suæ sexagesimum
sextum aliquot mensibus superasset. Sepultus est Calbæ in
prædio suo, quo ex monasterio aliquot ante obitum hebdo-
madibus cum suis sese transferri curaverat.

LIII. SEBASTIANVS GOEBELIVS. Natus est
26. Decembr. ann. 1628, in urbe Dresdensi, Electorali sede, pa-
rentibus honestissimis, Johanne Goebelio, hæreditario in Do-
litz & cive mercatorique Dresdensi, matre Dorothea Kohlia,
Senatoris Dresdensis filia. Ab his parentibus domi educatus,
non tantum ab ipsis pietatis rudimenta accepit, sed à præce-
ptoribus quoque liberaliter altis, initia litterarum. Et hoc
in decimum sextum, usque annum, cum scholam oppidanam
ingressus auspicio celeberr. Rectoris M. Johannis Bohemi in

studii

studiis suis majores progressus fecit, donec 1647. in Lipsien-
sem Academiam abiret, & post quadriennium in Witteber-
gensem. Consecraverat se SS. Theologiae, ad quam cum na-
tura inclinabat, tum matris piissimae honesto desiderio erat
propensior. In utraque igitur Academia non minus philo-
sophiae quam Theologiae celebribus Doctoribus diligentem
dedit operam & Witebergae D. Calovio praeside bis publice de
materiis Theologicis disputavit. Biennio elapso Witebergae
Lipsiam rediit, cum primis propter praestantes, quos Lipsia
tum habuit, concionatores. Tbi solemnibus praestitis Magi-
sterii gradu ornatus est, ut ad plures eruditionem suam propa-
gare posset. Quod & industriae singulari laude fecit, multosq;
in philosophicis disciplinis auditores habuit, cum ipse interea
sub celeberrimis Theologis Hulfemanno, Carpzovio, Ge-
jero, Kromajero, Slutero in sacris illis studiis audiendo dispu-
tandoque sedulum se praebere, omnesque discuteret contro-
versias, quae cum adversariis nobis intercedunt. Cumque
eloquentiam sacram & praecipis & usu acquiri sciret, in col-
legiis quoque concionatoriis sub moderamine & censura B.
Carpzovii & Dn. D. Gejeri se exercere non neglexit. Crescen-
te interim fama ipsius, Anno 1655. Lipsiae ad D. Nicolai à Se-
natu Concinator Sabbathicus est constitutus, cui muneri
in quartum annum praefuit, non neglectis interim Academi-
cis studiis. Verum honesta magis, quam locuples erat haec con-
ditio, ideoq; ne patrimonium suum consumere cogere, mu-
tare meliori semper optabat, quod & contigit. Nam Reveren-
dissimi & Serenissimi Dn. AVGVSTI, Postulati Administratoris
Archiepiscopatus Magdeburgensis Filiorum Principum Epho-
ro nobilissimo Dn. Georgio Henrico à Luckovvin, cujus viri be-
nivolentiam meritis suis consecutus erat, ad Principum Junio-
rum studia quaedam Historica formanda consiliis & opera Goe-
belii uti placuit, unde non tantum id impetravit, ut in Aula Ar-
chiepiscopali An. 1659. Principalis mensae beneficio frueretur,
sed etiam porro ita commendavit tum Luckovvinus, ut Sere-
nissi-

nissimus Administrator principalis gratiæ securum esse jubere-
ret. Nec vana fuerunt illa promissa. Eodem enim anno in
Monasterium Bergense quod tum sine Abbate erat, in nume-
rum Conventualium receptus est. Meruerat majora, sed tum
res aliter non patiebatur. Post quadriennium autem 2. Janua-
rii singulari DEI providentia à Cænobii conventu præsentibus
maximè venerandi Capituli Cathedralis summi templi
Magdeburgensis Deputatis & quibusdam Prælati ritè & ca-
nonicè electus est, inque templo monasterii proclamatus, &
facta intimatione, à Serenissimo Principe confirmatus. Cum
dein eodem anno Conventus Ordinum Provincialium Hallis
Saxonum haberetur, pro membro ab illis electus est, & dein,
præsentatione debite factâ, à Serenissimo Administratore in Re-
cessu Conventus confirmatus est. Eodem tum loco laudabilis
illa Unio inter Capitulum Cathedrale Magdeburgense & Præ-
latos nonnullos Monasteriorum & Ecclesiarum Collegiarum
Archiepiscopatus Magdeburgensis redintegrata est, & à Sere-
nissimo Principe confirmata, constitutusque est Abbas Ber-
gensis, tenore Recessus Unionis, Membrum & Assessor Judicii
Clericalis Magdeburgensis, & una cum Capitulo Convisitator
perpetuus Monasterii Wolverstetensis & Mariæ bornensis. Ad-
hibuit autem statim inter initia maximam diligentiam, ut Mo-
nasterio non tantum redditus suos integros servaret, sed & au-
geret, ædificiaque necessaria vel nova erigeret, vel collapsa
restauraret. Templum cænobii, quod ante centum annos
ab ipsis fundamentis Vlnerus extruxerat, à fatali autem illo ex-
cidio Magdeburgico vix in ruinis suis supererat, reparari fecit,
cum præsertim Capella, quam erectam à Crusio diximus, non
caperet omnes incolas Buchovienses. Ornamenta etiam re-
parato templo addidit, & in perpetuam rei memoriam Con-
clave illud, in quo Formula Concordiæ, ceu in Vlneri historiâ
dictum, perfecta fuit, renovari fecit. Dein aliis quoque ædifi-
ciis, Abbati, Pastori, Procuratori destinatis manum admo-

L

vit,




vit, redintegrarique fecit. Pecori quoque & Iumentis necessaria receptacula & cubilia de novo exstrui fecit, cum omnia furore militum partim combusta, partim disiecta & devastata essent, ne horto quidem cœnobii excepto, qui proin curas quoque diligentissimi Dn. Abbatis ad se vocavit, estque per ipsum cultior redditus: Præterea in Buchovv domum lateribus parandis exstrui cum omnibus necessariis fecit, in Osterwittin gen autem molendinum novum construxit. Cum nuper mascula Illustriss. Comitum Barbyensium familia defecisset, Prædium Zacmundense, quod per aliquot secula Comitibus in Feudum ab Abbatibus Bergensibus datum fuerat, recepit, cumq; non parum desolatum esset, excoli iterum fecit, necessariisq; ædificiis instruxit. Interea dum hæc fierent, non minus ad pietatis studia promovenda devotam mentem convertit Abbas. Ideoq; primo A. 1662 Statuta Monasterii recensuit & à Reverendissimo Administratore confirmationem impetravit. Deinde cum Ordines Provinciales urgerent, ut, more sub initium Reformationis Lutheranae recepto, in Monasteriis nonnulli pueri ex indigenis & alerentur & informarentur, facilem hic se præbuit Dn. Abbas, fecitque initium Anno 1663. Et quamvis illi Conventualibusque non parvæ eo nomine molestiæ creatæ fuerint, nec dum in aliis Archiepiscopatus Monasteriis simile quid factum sit, onera vero publica interea ad summum pervenerint, tamen in pio illo instituto adhuc perseverat. Cum conventuales omnes sacris litteris dediti sint, in iis diligenter eos exercet, & sæpe velitationibus, deque gravibus controversiis disputationibus ansam dat, consulentibus autem inter difficultates studiorum operam suam denegat nunquam. Tenentur Couventuales præter Canonicas horas matutinas & vespertinas singulis diebus habendas, dominico die pomeridianam concionem ad populum habere, in quo exercitio primo illis manu ductorem fidelem, dein diligentem & exactum censorem exhibet. Ut verò studia sua co-
lere

lere diligentius & ex ipsis fontibus deducere possint, Bibliothecam egregiam monasterio paravit, eamque sensim optimis necessariisque libris adauget. Quibus laboribus, revera maximis & concatenatis cum distrahatur quotidie Dn. Abbas, conscripsit tamen subcivivis horis libellos nonnullos publico commodo edendos. Methodologia Homiletica, seu de Arte concionandi liber jam carcere morder, & proximis forte nudinis in doctorum manus veniet. Alius de pactis divinis universalibus & particularibus ultimam adhuc manum expectat. Cornelii quoque Becheri Psalterium, ad leges metricas Germanicas correctum à se, suo tempore publicabit. Antiquitatum denique Monasterii sui, historiaeque Antecessorum suorum curiosissimus fuit indagator, cumque ab avo meo Henrico Meibomio conscriptum Chronicon Bergense intellexisset, jam tum ante hos sex annos coram, & per alios nuper secum communicari aut publicari petiit. Neque vero refragari ego honestis Optimi Viri desideriis volui, sed inter plurimos alios labores huic Chronico edendo manum admovi. Quare cognita, ne ullam bene de monasterio merendi occasionem praetermitteret, ultro, quæ exornandæ editioni inservirent, submitit, quibus in hac quoque Appendice contexenda fideliter usus sum. Servet Ter. Opt. Max. DEVS Venerabilem Virum, ut qui tam bene primis sui regiminis annis de monasterio mereri cepit, porro quoque id ipsum in Nominis Divini honorem & gloriam, pietatisque & sinceræ religionis propagationem, conservet, instauret, magnisque adaugeat incrementis!

L 2

Memi.


Meminimus supra Statutorum Monasterii, Prin-
cipali Auctoritate confirmatorum, quæ
hic subjicimus:

NOS DEI GRATIA AVGVSTVS, POSTVLATVS
ADMINISTRATOR Primatus ac Archi-Episcopatus
Magdeburgensis, Dux Saxonie, Iulie, Clivie, ac
Montium, Landgravius Thuringie, Marchio Misnie, nec
non Superioris & Inferioris Lusatie, Comes Marchie, Ra-
vensburgi & Barbij, Dominus in Ravenstein. Notum fa-
cimus Lecturis & quorum interest scire, Reverendum &
benè doctum, devotum nostrum, SEBASTIANVM GOEBE-
LIVM ABBATEM Cænobij Bergensis propè Magdeburgum,
exposuisse nobis studio subjectissimo, quòd Statuta quedam
eum in finem concinnaverit, ut Cænobij illius Fratres non so-
lum secundum illa vitam suam decenter instituant, sed etiam
ea religiosè observent. Petens proinde submissè, ut Statuta
hæc auctoritate nostrâ Principali confirmaremus & illis ro-
bur adderemus firmissimum. Legentes & expendentes eorum
tenorem deprehendimus, propositum hoc laude non carere,
sed Cænobio proficuum & utile futurum, ejusmodi Statuta ad
strictam & accuratam observantiam introducere. Sic enim
Monasterio recepti non solùm lectioni Bibliorum Sacrorum,
& Authorum probatissimorum, cum primis Patrum & D.
Lutheri scriptorum sedulò & quotidie vacabunt, sed etiam
crimen ignavie adversabuntur, habentes ingenium in ex-
cubiis,

cubiis, ut hauriant mente avidâ, quod hæcenus ipsis inco-
gnitum & nondum observatum fuerat. Quo strenuè facto &
egregiè præstito, mores erunt ad honestatem formati, cessa-
bunt vitia & vita eorum ita preparabitur, ut DEO placeat,
â probis laudetur & extollatur. Sic autem sonant STATUTA,
de quibus agimus, & quorum in ingressu meminimus.

I.

ANte omnia recipiendi & recepti in hoc Monasterium ve-
râ pietate colant & timeant DEVM & Patrem Domini no-
stri JESV CHRISTI & fidem dent se amplecti Genus doctrinæ ex-
pressum in monumentis Prophetis & Apostolicis, & repeti-
tum postea in Confessione Augustanâ, ejusdemq; Apologiâ,
Schmalcaldicis Articulis, Formulâ Concordiæ & Catechismis
D. Lutheri, ac fovere velle consensum catholicum, nec ab eo,
Deo Adjutore unquam esse discessuros.

II.

Sacra Biblia, S. Patrum, item D. Lutheri & aliorum Or-
thodoxorum scripta diligenter legant, nec non sacris concio-
nibus habendis, ut ad functiones Ecclesiasticas dignè promo-
veri possint, juxta Dn. Abbatis ordinationem sese exercent.

III.

Sacras quoque Cantiones, lectiones, & preces Panegy-
ricas in templo sedulo frequentent, atq; inter canendum non
aliud agant, sed suo quisq; loco, & voce pariter ac mente, soli
summo DEO laudes devotè canat, nec citra permissionem Do-
mini Abbatis, aut in scio Seniore ab ipsis temerè sese absenter.

IV.

Honorem debitum, Reverentiam ac Obedientiam, se-
cundum Deum & Christi Evangelium Abbati suo sedulo ex-
hibeant & præstent.

V.

Ad conservandam verò fraternam charitatem, & pacem



Recentiores suos Seniores revereantur, Seniores vicissim Recentiores diligant, atque ad eò mutuis obsequiis sese prosequantur.

VI.

Secreta Monasterii honesta illis singulariter aut generaliter concedita, item Privilegia & immunitates speciales nemini extraneo & cujus ea scire non interest in Phrontisterii præjudicium, sub infidelitatis censura revelent.

VII.

Privilegia Monasterii neque per se ipsos ullo modo infringere, aut immunitates & Indulta labefactare nec bona ejusdem alienare præsumant. Neque etiam ab alio quoquam cujuscunque status ac conditionis fuerit, eadem infringi, labefactari, aut aliquo modo ab alienari sinant, sed è contrario, summis viribus ipsa illa tueri, conservare & augere studeant.

VIII.

Insuper in officiis ex Domini Abbatis arbitrio sibi injunctis sese per omnia fideles ac diligentes præbeant. Neq; contra Domini Abbatis ordinationem quicquam faciant aut moliantur. Si qui verò in demandatis officiis infideles reperti & convicti, aut Abbati suo inobedientes extiterint, aut quovis modo etiam eidem contumaciter rebellaverint, debitæ correctioni pro transgressionis qualitate aut delicti ratione sese subjiciant. Quod si quis pertinaciter recusaverit, etiam de Monasterio ejiciatur.

IX.

Ad dignitates aut Ecclesiasticas functiones legitimè vocari, non nisi cum consensu Domini Abbatis (qui eis non denegabitur) easdem vel acceptent, vel recusent.

X.

Vitam castam ac honestam, nec non cum morum gravitate conjunctam agant. Si qui vero in coelibatu vivere, aut aliis justis ex causis in hoc Monasterio perseverare aut nolint aut non possint, non clam nec furtim, sed assensu & bonâ voluntate Domini Abbatis, à quo & Testimonium suæ in Monasterio transactæ vitæ recipiant, discessum instituunt.

Ex-



XI.

Extra Monasterium neq; in urbe Magdeburgensi, neq; alias uspiam nisi cum speciali permissione D. Abbatis pernoctent, nec absq; illâ, aliò quopiam iter instituant pro suo cujusq; libitu cum neglectu divinorum & studiorum excurrentes & divagantes.

XII.

Nec minus in totâ vitâ & moribus passim sese tales præbere studeant, quò omnibus quibus cum agunt, porro exemplo, nemini autem vel verbo, vel factò justo offendiculo esse possint.

XIII.

Quicumque igitur Statuta hæc sedulo ac diligenter servaverint, seseq; juxta præscriptas constitutiones fideles & obedientes Monasterio & Domino Abbati præstiterint, vicissim ii, ut membra ejusdem & Capitulares quin & chari Fratres habendi, omniq; favore & benevolentia prosequendi, insuper non tantum vitæ necessariis providendi, sed & omnibus Privilegiis & Libertatibus hujus Monasterii pro uniuscujusq; personæ conditione ac qualitate uti ac gaudere debent. Quod ipsum, præstiprius eo, quod præmissum est, ut reipsâ fiat, præsentis & futuris Abbatibus injunctum & seriò demandatum esto.

XIV.

Vt autem Recipiendi Fratres ad observantiam horum eò magis adstringantur, atque etiam reverentiam debitam Abbati præstent, obligabunt se sequenti præscriptâ formâ:

Ego N. promitto tibi Domino N. Abbati hujus Monasterii debitam obedientiam, Reverentiam ac fidelitatem juxta præscriptos articulos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

XV.

Quâ præstitâ, recipiet eos Abbas, eâ formâ, quæ subsequitur:

Et Ego N. confirmatus Abbas hujus Monasterii, recipio te N. in Fratrem & membrum nostri Phrontisterii Bergensis, conferenstibi, nostram fraternitatem in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Amen,

Seriò

Seriò igitur injungimus præcipimus & severissimè jube-
mus, ut Statuta hæc singula Monasterio recepti Fratres, re-
ligiosè observent, neq; contraveniant; gravi statutâ pœnâ
in eos, qui rumpere ea vel convellere annituntur: Cogitantes
Legibus & Statutis, inprimis verò Principali Authoritate
confirmatis, parendum & obediendum omninò, illisque suam
sanctimoniam religiosè conservandam esse, Ideò qui ipsis se
morigere subjecerit, Gratiam & Clementiam nostram certò
exspectabit. Contranitentes verò & immorigeros ad illorum
sanctam observantiam condignis pœnis & animadversioni-
bus severioribus adigemus; Quas autem evitabunt virtutem
amantes; quiq; cupiunt, ut promotionis portæ ad ulteriora de-
inceps ipsis pateant. Mandamus iterum, ut Statuta hæc à
Nobis clementissimè confirmata probè observentur. Lite-
ras hæc confirmatorias propriâ manu subscripsimus, & Si-
gillo nostro Secretiori communiri jussimus, prout id illis ap-
pensum est. Dabantur Hallis Saxonum die 21. Julij Anno
Domini **CIO IOC LXII.**

AVGVSTVS

L. S.

JOHANNES KRULL D.

PETRVS BEVTHER.

Fuit

Fuit Cœnobium Bergense à tempore Reformationis Lutheranae illustre semper pietatis schola, vixerunt q̄ in illo sub religiosis Abbatibus Petro Ulnero, Clemente Strathusio, Johanne Heidenio, Samuele Crusio, & qui adhuc superest, Sebastiano Gœbelio, viri præclari, qui dein partim alia Monasteria sive Abbates, sive Præpositi rexerunt, partim Regibus Principibusq; à concionibus & consiliis sacris fuerunt, aut in urbibus oppidulis pagisq; vel in Ecclesia vel Schola Dei servierunt. Horum Fratrum & Conventualium omnium catalogus, diligenter congestus, cum ad manus meas pervenisset, hic subjicere, qualem eum nactus sum, volui. Interest posteritatis, scire, ex hoc Cœnobio, velut ex equo Trojano, egressos plures optime de Ecclesia meritos viros, & esse illud adhuc hodie, ceapium Conditorum institutum requirit, vera & sincera religionis seminarium.

I.
Sub Reverend. Dn. PETRO ULNERO,
 ABBATE XLIX.

Dn. Jacobus Lager, Bileveldanus, Senior, qui ante devastationem Cœnobii, quæ Anno 1546. facta est, Monasticen professus fuerat.

Jacobus Heydhausen, Werthinensis, ex Phrontisterio advocatus in Pastorem Ecclesiæ in Eichendorff / obiit A. 1578.

Clemens Strathausen, VVerdinensis, postulatus in Præpositum Monasterii Monialium in Menendorff / post revocatus in Abbatem hujus Phrontisterii A. 1595.

Martinus Gallus, Bolislaviensis Silesius, primus Ludimoderator Bergensis Scholæ, deinde promotus in Canonicum Lectorem Metropolitanæ Ecclesiæ Magdeburgensis, obiit Magdeburgi A. 1581.

Henricus Kneeteysen, primum Monasterii Procurator, postea vocatus in Pastorem Parochiæ in VVispenstein.

Henricus V Vilhauer, VVerthinensis, Ludimoderator Scholæ Bergensis, postea advocatus & factus Quæstor ærarius Illustriss. Principis Juliacensis.

Georgius Gossuvinus, Gladenbachius, primum Canonicus Lector Cathedralis Ecclesiæ Magdeburgensis, deinde hujus Phrontisterij membrum & Capitularis factus, obiit in Cœnobio.

M

Henri-

Henricus Blum, Magdeb. hinc avocatus in Pastorem Ecclesie in Brumbi, postea Diaconus ad S. Petrum Magdeb. factus.

Henricus Borcken, primum Pastor Ecclesie Bergensis, postea vocatus in Aulicum Concionatorem Illustriss. Principis Brunsvicensis, deniq; Pastor Ecclesie in Grehnâ Ducatus Bransvicensis creatus.

R. D. Gerhardus Cocus, Gladenbachius, Prior hujus Phrontisterii, hinc electus in Abbatem Monasterii in Regali Luthero, obiit Anno 1599.

Carolus Gokel, Gladenbachius, Past. in Olvenstedt, obiit A. 1595.

Iodocus Symenius, Hamburg. Pastor in minori Ottersleben.

V Vernerus Knorre, Dulkenfis, Custos Ecclesie Bergensis, obiit hic Anno 1575.

Lambertus Dionysius, Ludimoderator Scholæ Berg: hinc avocatus & creatus in Parochum Ilfenburgensem.

Iohannes Vlnerus, Gladenbachius, frater Dn. Abbatis germanus, prius Pastor in Bella Coloniensis Diœcesis, postea membrum hujus Monasterii, obiit A. 1576.

Georgius V Vitzen, Schoningensis, Pastor Ecclesie Bergensis, postea vocatus à Senatu Magdeburgensi in Pastorem Ecclesie in Glotha.

Sigismundus Pfaffendorff / Coloniensis, venit ad nos conversus ex Papatu sed rursim defecit à nobis, ut canis rediens ad vomitum.

Franciscus Fischer / Bergensis Ecclesie Pastor, avocatus hinc in Pastorem Ecclesie in Dalen Warsleben. obiit ibidem.

Gottschalckus Schmidt / Soltquellensis, Pastor in Suldorff.

Helias Longonius, Spandaviensis, Pastor in Diesdorff. obiit ibid.

Christophorus Wach à Schnarßleben / hic pie defunctus in Christo A. 1578.

Hieronymus Bardinus, Ostervvicensis, Ludimoderator Scholæ Bergensis, deinde Pastor in Wingenstedt.

Ioachimus Witstock / Spandaviensis, prius Pastor Ecclesie Berg, deinde avocatus à Reverendo Capitulo Majoris Ecclesie Brandenburgensis in Parochum ejusdem Summi Templi, postea Pastor in N.

M. Ioachimus Suerinus, Soltquellensis, Scholæ Berg. Ludimoderator.

Henricus Homelius, Gladenbach, primum Illustr. Brunsvicensis, deinde Iuliacensi Principp. à Concionibus Aulicis, postea Superintendens

tendens Helmstadiensis, postremò Pastor Ecclesiæ Bergensis, nec non Professor S. Theologiæ, ibidem obiit A. 1579.

Petrus Lepperus, Gladenbach. prius Ludimoderator Scholæ, deinde Procurator hujus Phrontisterii, demum Pastor in medio & superiori Etlaw.

Iohannes Freymüller/ Zeapolitanus, Pastor in Bermerschleben/ obiit hic A. 1584.

Michaël Cocus, Lütisadensia Thyringius, Pastor in Schleuenig. obiit A. 1605.

Georgius Hasenstab/ Francus, Pastor Ecclesiæ in Osterweddingen/ obiit A. 1598.

Balthasar Rosenthal/ Magdeb. Pastor in Bieren/ obiit ibidem

Iohannes à Tilia, Schvvarzensis, Pastor in majori Sanderleben

Ioachimus Münch/ Salzensis, avocatus in Pastorem Schvvarzens.

Albertus Berckman/ Luchterensis. Hic exiit ex nobis, quia non erat ex nobis.

Theodorus Wigendorff/ Vizensis, Pastor Ecclesiæ in Losbau, postea in parvâ Rodenschleben.

Erasmus Henniges, Soltquellensis, Pastor in Borderstadt/ postea in Wolmirstadt/ obiit A. 1604.

Andreas Dickpense/ Neuenhaldenschlebiensis, prius Ludimoderator hujus Phrontisterii, postea hinc avocatus in Rectorem Scholæ Neohaldenschlebianæ, denique Pastor in Harmsdorff/ ibidem obiit.

Hennigus Hoppius, Magd. Collega Scholæ Magdeburgensis, deinde Pastor ad S. Iacobum, obiit ibidem.

Iohannes Willing/ Stendaliensis, Vicarius Summi Templi Magdeburgensis.

M. Ludgerus Aquilius, Dusseldorffensis, Professor cùm Græcæ, tum Ebrææ Linguae, avocatus in Pastorem Cathedralis Ecclesiæ Havelbergensis, obiit A. 1601.

Georgius Wittenkopff/ Nivemontanus, obiit A. 1595.

Iohannes Geriscus, Magdeburg. vocatus in Rectorem Scholæ Alvenschleb.

Paulus Duber, Schlibensis, Rector Scholæ novæ Civitatis Magdeburgensis deinde Pastor in minori Otterschleben/ obiit A. 1599.

Hermannus Schroderus, Holsatus.

Henningius VVeddevius, Goslariensis.
 Mauritius Meyer/ Magdeburg. Ludimoderator Bergensis, postea
 Rector in Schönbeck. obiit ibidem.
 Balthasar Voigt/ V Vernigerod. vocatus in Diaconum ejusdē Ecclesiæ.
 Bartoldus Helvvig, Dodendorffensis, Pastor Ecclesiæ in Dies-
 dorff. obiit A. 1625.
 Evvaldus Tegeder, Pater Fraternitatis in Hervordea, hinc avotus.
 Erasmus Vischenbecius, Dānnenbergensis, Pastor in Bodendieck.
 Ludolphus Bolschenius, Vallerschlebiensis, Pastor in Witting.
 Paulus V Valkhovius, Heimerschlebiensis, Cantor & Collega
 Scholæ Barbyanæ, postea Diaconus ibidem.
 Theodoricus Zedovius, Soltquell. vocatus in Diaconum V Vol-
 mirstadiensem, postea in Pastorem Ecclesiæ in Hötenschleben.
 Andreas Tilemannus, Eglensis, obiit hîc
 Cyriacus Haverlandt/ Brunsvicensis, Pastor in Twiffing & Woyte
 Gottfridus Homelius, Düffeldorffensis Rhenanus.

II.

Sub Rever. Dn. CLEMENTE Strathausen.
 ABBATE L.

Leonhardus Latomus, Procurator, obiit Magd.
 Casparus Bolschenius, Vallerschlebiensis, Diac. Berg. Ecclesiæ,
 postea Past. in Wolmirstadt/ denique vocatus in Pastorem Ausleb.
 Thomas Eryleben/ Eichendorffensis, Pastor in Buckaw & Ber-
 merschleben. obiit ibidem.
 Melchior V Vesselius, Luneb. Past. in Cracau & Præster, obiit ibid.
 Petrus Vlnerus, Gladenbachius, Past. Dodendorf. obiit ibidem.
 Johannes Sommerus, Cygneus, Past. Ostervedding. obiit 1622.
 Casparus Eistenzweig/ hujus Cœnobii Ludimoderator, postea con-
 frater & Pastor, deniq; vocatus in Concionatorem Aulicum à Reve-
 rend. & Illustr. Principe ac Domino, Dn. Philippo Sigismundo Epif-
 copo Osnabrug. & V Verdensi, Duce Brunsvicensi, obiit A. 1603.
 Paulus Gottfridi, V Verthinensis, Procurator, & ob ingravescen-
 tem R. D. Abbatis ætatem in Coadjutorem hujus Monasterii electus
 & confirmatus A. 1608. obiit A. 1613.
 Ludgerus Strathausen/ V Verthin. Past. in Stemmern obiit 1626.
 Johannes Bosselius, Magdeburg. Past. in Randaw. obiit A. 1624.
 Johannes Wincke/ Goslariensis, Ludimoderator.

Ludgeru

Ludgerus Lautenschmidt/primùm Pastor Cœnobii S. Ludgeri prope Helmstedt/ postea vocatus in Unseburg/ obiit A. 1640.

V Volfgangus Ritterus, vocatus ad Parochiam Schleunicensem, deinde ad Diaconatum Magdeburgi Australis, obiit A. 1632.

Paulus Wichman/ Magdeburgensis, obiit A. 1600.

Iacobus Manlius, Silesio Brigenfis, Procurator & Senior hujus Monasterij, obiit 1624.

Andreas Becker/ Domerschlebiensis, Ludimoderator hujus Scholæ, postea Pastor in Dodendorff. obiit A. 1627.

Michaël V Veidnerus, Suganensis, Pastor in minori Edlaw.

Henricus Hesse/ Magdeburg. ex hoc Conventualis Monasterii B. Virginis Mariæ, quod Magdeburgi est, factus obiit ibidem.

Martinus Beutler/ Magdeb. in Neoparthenopoli à matutinis Concionibus, obiit A. 1625.

Conradus Butyrius, Hannoveranus, obiit ibidem

Johannes Orlingius, hujus Cœnobii Pastor & Senior. obiit A. 1625.

Hermannus Redecker/ V Vestphalus Pastor in minori Rosenberg. obiit A. 1626.

Paulus Hugo, Helmstadiensis, Pastor in Kexling/ obiit A. 1626.

Lambertus V Vernerus, Pastor in Hundesburg obiit A. 1620.

Johannes Schroderus, Hassus, Architriclinus hujus Cœnobii, obiit A. 1624.

Nicolaus V Volffius Kivitzensis, obiit A. 1615.

Johannes Reineccius, Ludimoderator, deinde Confrater, postea vocatus Pastor in Welschleben obiit A. 1636.

Iacocus Kupfferus, Ludimoderator, postea Diac. in Aken. obiit. ib. Ioachimus V Veseus, Neomarchiacus, primùm vocatus in Diaconum Neoparthenopolis, post Pastor factus Soltquellensis.

Johannes Crugerus, Valdorffensis, Pastor in Melchau & Wust.

Mauritius Lentze/ Magdeb. obiit A. 1616.

Christophorus Todænus Schlacco vverda Bohemus, Ludimoderator, & Confrater, postea Diaconus in Magdeb. Vrbe v. devastatâ Diaconus factus in Glensburg Holsatiæ.

Johannes Neuman/ Eisfeldensis, Pastor in Westerhusen/ obiit 1622

R. D. Johannes Heydenius, Ierslebiensis, postulatus in Præpositum Monasterii Monialium in Wolmirstadt/ inde postulatus in Abbatem hujus Phrontisterii A. 1621. obiit. A. 1626.

III.

Sub Rever. Dn. JOHANNE HEYDENIO,
ABBATE LI.

Iacobus Manlius, Silesius Brigenfis, Procurator, obiit A. 1624.
d. 31. Augusti.

Iohannes Orlingius, Hilderslebiensis, Pastor Ecclesiæ Bergensis,
Buzaw & Zermerschleben. obiit A. 1625. d. 31. Augusti.

Iohannes Schroderus, Hassus, Architriclinus, obiit A. 1624. d.
16. Martij.

Georgius Mullerus, Magdeb. Pastor in Buzaw & Zermerschleben
post desolationem horum pagorum promotus est in Pastorem V Ved-
dingensem propè Goslar.

Georgius Cramerus, Konigseensis, Pastor in Westerhusen/ obiit
Anno 1626.

Petrus V Vellenbergius, Diesstorffiensis, Pastor in Osterweddingen/
desolato v. pago isto egit Pastorem in Langenweddingen

Bartoldus Helvvigius Diesstorffiensis, Architriclinus, vocatus
Pastor in Diesstorff/ Patris successor, obiit A. 1636.

Antonius Buchschag/ Ietslebiensis, Architriclinus, Pastor in Pa-
tria obiit A. 1636.

Iohannes Faber, Lutzen Sommerensis Tyrigeta, obiit in Cœno-
bio A. 1623. d. 20. Decembr.

Iohannes Fornfestius, Ludimoderator, & Confrater, primùm
Pastor in Schwaneberg/ deinde vocatus in Pastorem Eglensem, obiit
Anno 1633.

Daniel Frommius, Pastor in Wolmirschleben/ Patris successor,
obiit Anno 1626. d. 27. Septembr.

Iohannes Albinus, Iyterbocensis, antea Cantor apud Austro-
Magdeburgenses obiit in Cœnobio A. 1625.

Casparus Bohemus, Schlaccoverda-Bohemus, Pastor in minori
Dscherschleben/ obiit Anno 1636.

Matthæus Langius, Schandaviensis Misnicus, abiit militatum.

R. D. Samuel Crusius Calegiensis Saxo, prius Ludimoderator,
deinde ex Confratre Procurator, post electus & confirmatus Abbas
hujus Monasterii A. 1626.

IV.

Sub Reverend. Dn. SAMVELE CRVSIO,

ABBATE LII.

Matthias

Matthias Pyrnerus, Eilslebiensis, Pastor in Cracau & Præster postea devastatis illis pagis vocatus ad Parochiam Schleunicensem, obiit A. 1636.

Iohannes Stoherus, Berningensis Bohemus, Ludimoderator & Confrater, post Pastor in Wolmirschleben.

Martinus Holtzhufius Stemmerensis, Pastor in majori Wansleben/ obiit A. 1645.

Petrus Schrammius, Magdeburg. Pastor. in Burg. obiit A. 1640.

Iacobus Becker/ Magdeburg. prius Pastor in majori Germerschleben/ postea vocatus in Pastorem Gruningensem.

Bartholomæus Süderwaldt/ Magdeb. Pastor in minori Germerschleben/ obiit anno 1636.

Andreas Schöner/ Pastor in Körblitz & Lössau.

VVigandus Prætorius, Pastor in Cracau.

Elias Cormannus, Collega Scholæ Stendaliensis,

Iohannes Grubelius, Gräfenhainichen-Misnicus Diacon. in Patria.

Iohannes Fischer Sangerhusanus Tyrigeta, prius Pastor in Breitfeld/ iam Pastor in Diestorff.

Iohannes Wapenhensch/ Magdeb. vocatus Pastor in Bieren.

Matthias Nathan, Neohaldenschlebiensis, Pastor Osterweddig.

Christophorus Bezelius, Servestan. Sereniss. Princip. Christinae Suecorum & Goth. Reginae Concionator Aulicus.

Andreas Notermund/ Pastor in Dodendorff.

Bernhardus Pauli, Eisenacensis, Pastor in Bleckenburg.

Petrus Reineccius, Pastor in Löbentz.

Fridericus Wünger/ Diaconus in Staffsurth.

Benedictus Stünning/ Pastor in Schwanenberg.

Christophorus Gerling/ Pastor in Lederburg.

Thomas Friderici, Pastor in Schlebenz.

Christophorus Belovv, Rector Scholæ Calegiensis.

Iohannes Tilekin.

Adamus Faber.

Henricus Heldberg/ Pastor in Cracau.

Christianus Cämmerer/ Pastor in Pechaw.

R. D. Iohannes Zimmermannus, Pastor; primùm Bergensis. post Diaconus ad Spiritus S. Templum, demum postulatus Præpositus Cœnobii B. Mariæ Virg. in Magdeburg. obiit ibidem anno 1668.

Christia-

Christianus Becker / Pastor in Lindenberga.

Henningus Danckwart / Magdeburgensis, Pastor Ecclesiae Ber-
gens. & Ferferschlebiensis. Obiit Bergæ anno 1664. d. 19 Martij.

V.

Sub Rev. Dn. SEBASTIANO GOEBELIO

ABBATE LIII. MODERNO.

M. Theodorus Balthasar Ludovici, Mansfeldensis, Procurator,
nunc Pastor in Cracau & Præster.

Christophorus Koch / Magdeb. prius Procurator postea Pastor
hujus Cœnobii, nunc Magdeburgi ad D. Iacobi Diaconus.

Iohannes Caspar Naumburg / Megamundra Thuringus, Archi-
triclinus, jam Pastor in Langenweddingen.

Christianus Salichius, Brumbyensis Saxo, Culinarius & Hortu-
lanus, nunc Pastor in Oppin.

Franciscus Schoffius, Magdeburg. Cellarius, jam Pastor in Gips.

Iohannet Georgius Mylius, Plaviensis Variscus, Pastor in Dice-
cesi Querfurdensi.

Christianus Bericke / Regiomontanus Borussia.

Iohannes Sivertus, Magdeburgensis, primum Procurator, jam
Pastor hujus Cœnobii & Ecclesiae Ferferschlebiensis.

Iohannes Casparus Drachstedt / Hallensis, in aulam Reverend. &
Sereniss. Dn. Administratoris AUGUSTI ad informationem Illustris-
simæ Proles advocatus.

M. Johann Gottfried Niedner / Hallensis, Bibliothecarius, nunc
in Patriâ ad D. Vdalrici Concionator Sabbathicus.

M. Iohannes Sigismundus Sindelfeller / Dresdensis, Procurator.

M. Conradus Hævecker / Calegiensis Saxo, Bibliothecarius &
Hortulanus.

Georgius Kilianus Pöhlinger / Magdeburgensis, Informator &
Cellarius, nunc Magdeburgi ad D. Iohannis à Concionibus Matutinis.

Iohannes Thymus, Schonbeccensis Magdeburgicus, Informa-
tor.

Salomon Lens / Magdeburgicus, Informator.

F I N I S.



von

Yd 920

ULB Halle 3
003 588 890



VD 17

M. G.







V I R O
 M A X I M E R E V E R E
 P L I S S I M O D O C
 M O Q V E

DN. SEBAST
 GOEBEL

Imperialis Monasterii
 ABBATI

Domino & Fautori plur. hon

HENRICVS MEIB

S. P. D.



Enit tandem ad Te
 genſe ab Avo meo H
 BOMIO, Historico no
 gno labore congestu

):(

